



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ioannis Tollenarii Brvgensis e Soc. Iesv Specvlvm
Vanitatis Sive Ecclesiastes Solvta Ligataq. Oratione
Dilvcidatvs**

Tollenaer, Jean de


Antverpiæ, 1635

Capvt Primvm. Proœmivm. Vers. I. Verba Ecclesiastæ, filij David, Regis
Ierusalem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68633](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68633)

I

IOANNIS TOLLENARII BRVGENSIS
E SOCIETATE IESV
SPECVLVM
VANITATIS
SIVE
ECCLESIASTES
SOLVTA LIGATAQ. ORATIONE
DILVCIDATVS.



CAPVT PRIMVM.
PROOEMIUM.

VERS. I. Verba Ecclesiastæ, filij David,
Regis Ierusalem.

METRICA PARAPHRASIS.

NEC ore versus entheo cothurnatos,
Nec prurientes auribus feram cantus.
Venale carmen, ingenique poppysma
Laudum propolis cedo: turgidos ructus,
Oracla Vatum, Delphicamque cortinam,
Clariosque tripodas, cymbalumque Dodon.
Illis relinquo, qui sub Hellados nocte
Cecutientes, numen adstruunt Phœbo,

A

He-

Heliconidasque fabulis deas comunt.
 Me, quidquid obeunt astra, mente complexum,
 Diuiniore Numen urget afflatu
 Docere vulgus, laudis inscium vera,
 Quid vanitatis rebus insit humanis.
 (Hoc nosse, sortis Regia dedit culmen,
 Daude genitus Solyma dum sibro sceptrum.)
 Hanc cum retorto traxero in diem collo,
 Eritne quisquam, qui abroget fidem dictis,
 Et in coruscâ luce sponte caliget?
 Hunc ego beari peruelim omnibus votis,
 Quae blandienti fascinata fortuna
 Tacito labello stulta turba suspendit:
 Ut cum affluente nauseauerit sorte,
 Dapes ut inter dapsiles cocus sputat,
 Sic ille vanitatis, & satur vitae
 Opes opimas inter hic inops degat,
 Vanique honoris turgidus crepet fumo,
 Fameque ad ollas tabeat voluptatum.

PROSA EXEGESIS,
ET

PROOEMIUM COMMENTATORIS.

DE vanitate rerum humanarum verba facturo nul-
 la certior aptiorque dicendi norma atque sentien-
 di suggeritur, quam illa Sapientum, Cum ratione at-
 que experientia de rerum naturis esse consultandum,
 Hanc normam sequor, dum Ecclesiasten sequor: qui
 Sap. 8, 19. cum puer sortitus esset animam bonam, tantum dein-
 de intelligentiae lumen diuinitus accepit, ut quotquot
 orbe toto sapientiae gloriam clari extiterunt, eosdem
 longo

longo post se interuallo reliquerit. Experientiam verò earum rerum, quas plerique mortalium in pretio habent, tantam est assecutus, quantam in Regiâ fortunâ par est esse maximam: vt non immeritò, ad conciliandam sibi fidem, hoc disertè sit præfatus, se Dauide progenitum, proindeque in aulâ ac purpurâ ab infantia educatum, tandemque rebus florentissimis ad Regni fastigium euectum. Ex quo pronum ac promptum est cuius conicere, quàm certa atque explorata habuerit omnia, quæ aut superficie tenus conspecta, aut summis labris degustata, mortalium genus, tranquillæ beatæque vitæ semper cupidum, solent ludificari.

Talem igitur ac tantum virum Ecclesiasten, id est concionantem introduxi, ac talem ipse se nominat: non idcirco tantum, quòd populo ius dixerit, aut sapientiam fortè sit professus, sed vel vnici huius Libelli causâ (tametsi de cetero priuatus, atque in otio confedisset) ex quo tantus in omnem posteritatem fructus promanauit, quantum nemo ex mille concionibus è suggestu habitis sperare potuisset.

Hic enim potiori iure vsurpari posse video illud Senecæ, qui in causâ non dispari, Certè nos sumus, inquit, qui dicimus & Zenonem & Chrysippum maiora egisse, quàm si duxissent exercitus, gessissent honores, leges tulissent: quas non vni ciuitati, sed toti humano generi tulerunt. Quid ergo est, quare tale otium non conueniat viro bono, per quod futura secula ordinet, nec apud paucos concionetur, sed apud omnes omnium gentium homines, qui que sunt, qui que erunt?

Seneca lib.
de Otio sapient.
cap. vlt.

Concionatorem igitur introduxi, & quidem vario carminum genere ad populum verba facientem. Ac ne

illud quidem aut à Regiâ maiestate, aut ab extremâ, quâ Libellum hunc scripsit, senectute, aut ab usu concionis, atque intentione concionantis abhorret. Regium in primis esse, carminibus delectari, minimè obscuro est: nam & Adrianum Imp. varia reliquisse poëmata; & Neruam Poëtico fuisse ingenio accepimus; & Constantinum poëseos non expertem fuisse, testatur Pomponius Lætus; ac denique hunc ipsum Regem sapientissimum quinque millia Odarum scripsisse, sacra Regum testatur Historia.

Pineda Salom. præ-
uio, lib. 3.
c. 13.

3. Reg. 4.
32.

Neque id eius ætati, quâ Libellum hunc scripsit, indecorum est: siquidem parens eius, vir bellicosissimus, tot præliis perfunctus,

Musarum studiis docuit mitescere cristas:

ac iam propè septuagenarius, varia poëmata versu trimetro pentametroque conscripsit.

Iosephus
lib. 7. An-
tiq. c. 10.

Denique illud exhortandi genus etiam concionibus accommodatum esse, retrò omnis testatur antiquitas. Ecquis enim est qui ignoret, homines sapientissimos fictis fabulis memoriæ prodidisse, siluas ferasque Orphei cantum secutas? & Amphionis testudine saxa Thebanis mœnibus adiecta? aut, ut clarè quod res est eloquar, homines siluestres ac rudes, planeque saxeos, suauissimis Poëtarum cohortationibus institutos, vniuersi civitatis legibus coaluisse? Cùm enim salutaribus præceptis versus inferuntur, suavius ac potentiùs in animos auditorum penetrant. Nam, ut dicebat Cleanthes, quemadmodum spiritus noster clariorem sonum reddit, cùm illum tuba per longi canalis angustias tractum, patientiore nouissimum exitu effudit: sic sensus nostros clariores carminis arcta necessitas efficit. Eadem negligentius audiuntur, minusque percutiunt, quam-

Seneca Epi.
Epi. 108.

quamdiu solutâ oratione dicuntur : vbi accessere numeri, & egregium sensum adstrinxere certi pedes, eadem illa sententia velut lacerto excussa torquetur.

Neque verò candidus Lector mihi succensebit, si condimenti causâ Poëticarum subinde fabularum nomina versibus intexuero. Etenim si & septuaginta Sapientes, & Vulgatus sacræ Paginæ Interpres (cuius auctoritatem veneratur Tridentina Synodus) & La-

Trident.
Sess. 4.
Thren. 4, 3.
Prou. 26, 8.
Iob. vlt. 14.
Amos 5, 8.
Iudic. 16, 8.
Iere. 7, 18.
& 44, 17.
18. 19. 25.

Trident.
Sess. 4.
Thren. 4, 3.
Prou. 26, 8.
Iob. vlt. 14.
Amos 5, 8.
Iudic. 16, 8.
Iere. 7, 18.
& 44, 17.
18. 19. 25.

Porro, quemadmodum in metricâ Paraphrasi Poëticam laurum non ambiui, sed eximia illa vitæ morumque præcepta quasi condimento quodam litterario inspergere volui; sic in prosâ Exegesi Philologicam subinde varietatem consecutus sum, vt iis etiam prodessem, qui aut venerationis causâ sacris Litteris abstinent, aut Græcorum Romanorumque disciplinis, ac amœnitati litterariæ magis adsueuerunt. Et verò quid refert, aureone an fagino poculo medicina propinetur, dummodò morborum expulsio, & optata sanitas consequatur? Sanè D. Gregorius Nazianzenus obseruat, etiam viperarum carnes salutiferis misceri pharmacis. Sic etiam, inquit, ex profanis disciplinis, quod ad veritatem inquirendam, ad iudicium acuendum, ad contemplationem exercendam facit, libenter amplexamur. Nec eos audimus, qui politiores litteras explodentes, omnes sibi similes esse percipiunt, vt in communi sui similitum frequentia latere, & inscitia suæ reprehensionem vitare possint. Quia potius legi-

Nazianz.
Orat. fune-
bri de san-
cto Basilio
Magno.

Hieron.
Epist. 84.
ad Magnū.

mus in Deuteronomio, inquit D. Hieronymus, Domini voce præceptum, mulieris captivæ radendum caput, supercilia, pilos & unguis corporis amputandos, & sic eam habendam in coniugio. Quid ergo mirum, si & ego, inquit, sapientiam sæcularem propter eloquij venustatem, & membrorum pulchritudinem, de ancillâ atque captivâ Israëlitem facere cupio, & si quid in eâ mortuum est idololatriæ, voluptatis, erroris, libidinum, vel præcido, vel rado?

Nihil ego miror, vir magne; sed potiùs exemplo tuo Senecæ philosophiam, quæ inter cetera Ethnicorum scripta visa est mihi Christiano ingenio dignior, purgatam ac recisam, in contubernium, imò legitimum thorum duco, nec illibenter eius pulchritudinem Lectori subinde spectandam propono. Dumque aut ipsius, aut aliorum sententias in medium adduco; non inuitus profiteor ex aliorum me laboribus proficere, & velut in alieno prato, instar apis, omnia perlustrare, floribus incumbere, mella delibare, illud Lucretij secutus:

Lucretius
lib. 3.

*Floriferis ut apes in salibus omnia libant,
Omnia nos itidem depascimur aurea dicta.*

Hieronymus in c. 1.
Ecclesiastice.
Terentius in Eunucho.

Quinimò ridiculos & vanos esse censeo sciolos quosdam, qui, ut nova proferre videantur, flores pulcherrimos ex alienis hortis collectos conculcant potiùs, & lutulentos sui que dissimillimos exhibent, quam ut aliis hanc laudem se debere fateantur. Dignissimi sanè Donato antiquo Grammatico discipuli, in quo illud reprehendit D. Hieronymus; Præceptor meus Donatus, inquit, cum istum Comici versiculum exponeret (Nihil est dictum, quod non sit dictum prius) Pereant, inquit, qui ante nos nostra dixerunt. An est quidquam
tam

tam vanum? Propitius sit mihi Deus, ne similem velut è mustaceo lauream captem, aut eâ re meipsum magnificè circumspiciam, si quid noui in lucem videar protulisse.

Sed ne hanc quidem gloriam aucupabor, vt propter eruditorum sententias in vnum corpus congestas aliquid legisse videar. Inania sunt ista, & puerilibus consentanea crepundiis. Quorsum mihi litterarius ille plausus, qui me Deo supremo Iudici meo reddat inuisum? qui, vt ait Thomas Campensis scriptor religiosissimus, extremo illo magni iudicij die non quæret quid legerimus, sed quid fecerimus; neque quàm benè dixerimus, sed quàm religiosè vixerimus.

Absit igitur omnis ostentatio, si Deo opellam hanc nostram probare volumus, qui operum fructu potiùs, quàm verborum frondibus ac floribus delectatur. Nam & oues, inquit Epictetus, non fœnum adferunt opilionibus, aut quantum comederint ostentant, sed pastu intra se concocto, extrinsecus lanam ferunt, & vbera lacte distenta. Sic & tu, inquit, ne verba confestim ostendas imperitis, sed opera quæ verborum concoctionem sequantur. Quod cum omnibus hanc lucubrationem lecturis ex animo voueo, tum illud in primis mihi ipsi, vt dum Ecclesiasten enarro, ab eius salutiferis præceptis vitâ moribusque ne discrepem; ne pudori mihi sit, quod alio loco idem tradit his verbis: Cum enarrationem Chrysippi (nobilissimi quondam Philosophi) inuenero, reliquum est vt præceptis eius vtar: quod vnum tali in re ac tempore præclarum est. Sin autem in ipsius enarrationis admiratione gradum fixero, quid aliud, quàm è Philosopho Grammaticus euasi? eo dumtaxat excepto, quòd pro Homero

Thomas à Kempis
lib. 1. de Imit. c. 3.

Epictetus
Enchirid.
c. 69.

Enchirid.
cap. 73.

mero Chrysippum (nos Ecclesiasten dicamus) enarro. Multò verò maximè tunc erubesco, si quis à me petierit sibi prælegi Chrysippum, cùm facta verbis eius consentanea præstare non possim. Hæc pauca de mente non minùs Ecclesiastæ, quàm meâ, visum fuit præfari: nunc rem ipsam, diuino adspirante fauore, aggrediamur.

S E C T I O P R I M A.

E C C L E S I A S T E S.

VERS. 2. Vanitas vanitatum, dixit Ecclesiastes: vanitas vanitatum, & omnia vanitas.

3. Quid habet ampliùs homo de vniuerso labore suo, quo laborat sub Sole?

M E T R I C A P A R A P H R A S I S.

QVALITER elisa iactatus fragmine puppis
 Per freta, per scopulos, per vada mersa salo,
 Lutore Trinacria fato subductus, & ex spes
 Institor, heu! sparsas æquore plangit opes;
 Et modò perfidia ventos arcescit & undas,
 Et modò culpatis terret aplustra Notis:
 Sic ego nauifragâ vitæ per mania pinu
 Ludibrium Boreæ, ludibriumque sali,
 Mersus, & emersus, post luctisonos singultus
 Ingemino, voces quæ sinit ire dolor:
 Nulla fides pelago, nec merces vlla periclis:
 Nulla fides pelago, nauita, parce rati.
 Parce rati, neque te ridens irrideat æquor,
 Cui Zephyrus placidis lenis oberrat equis.

Blan.

Blanda licet leuibus crispentur terga flabellis,
 Aut Speculi referant æquora strata vicem;
 Sub placido decimi celantur marmore fluctus,
 Sub Zephyro Boreæ spumea bella latent.
 Heu! quota fluctuomis pila ludicra voluitur Austris
 Cymbula, quæ placido soluerat cussa mari?
 Cetera quid memorem dubij discrimina ponti,
 Qualia funestus plurima mundus habet?
 Hic vbi seua rates absorbet ad ima charybdis,
 Fauce pari sorbens belluo luxus hiat.
 Hic vbi spumosis Symplegades astra laceffunt
 Fluctibus, irarum consona bella caue.
 Hic vbi dementat modulis Acheloïa Siren,
 Nonne voluptatis pingit in ore typum?
 Hic succincta canes vbi Scylla regurgitat vndas,
 Ah! ne te simili sorte libido rotet;
 Nulla fides pelago, nec merces vlla periclis:
 Nulla fides pelago, nauita, parce rati.
 Quin agedum fac vela spei, remosque fatiga;
 Solue age fluctuagas in tua vota trabes,
 Quâ via pandit opes, vel quâ via pandit honores;
 Mercedem explebunt ventus & aura tuam.
 Non alia Æolio captantur præmia regno:
 Carbasa nil maius retia vestra petunt.
 Quid fuit hoc mercis, Myniis quod contulit Argo,
 Qui docuere rudis terga domare sali?
 Phryxeum vellus, merx primâ digna carinâ,
 Et maius pelago Colchica lena malum.
 Hoc erat, ut sæcli turbarent fœdera mundi?
 Vt fierent noster disita regna timor?
 Ah! minus est, nobis quod quaritur: aura fauoris.
 Infima sex terra: pignus honoris, onus,

Famaque post cineres, ventosior alite vento,
 Grataque Ciræo fæda sagina gregi.
 O! quicumque colis vanissima somnia vitæ,
 Qui pretium ventis ludibrisque facis;
 Despue delicias, ventrisque animique saburræ,
 Despue diuitias, putrida frustra soli:
 Nec te forma iuuet, spoliū breue labilis æni:
 Nec te fama iuuet, postuma præda necis.
 Quidquid alit mundus, tibi sit quod imago theatri,
 Bulla maris, somni ludus, inane nihil.

PROSA EXEGESIS.

NAVFRAGVM vobis introduxi Ecclesiasten, & merito quidem; qui nec integrâ naui, nec saluis mercibus, post innumera vitæ probra, nominisque ac famæ dehonestamenta, ex hoc tumultuoso rerum humanarum freto emerferit. Sed & Ecclesiasten dedi ex naufrago, pertæsum scilicet vitæ prioris, & quæ nimio suo damno didicit, appositissimo ad persuadendum genere dicendi inculcantem, in quo neque orationis candor, nec sententiarum grauitas, neque experientiæ desideretur auctoritas.

Itaque non absimilem mihi cogitatione formaui eius orationem grauiſſimæ illi cohortationi D. Hieronymi ad Heliodorum, quâ illum de periculis huius vitæ certiore facit. Hæc ego, inquit, non integris rate vel mercibus, nec quasi ignarus fluctuum præmo-
 neo; sed quasi nuper naufrago eiectus in littus, doctus nauta timidâ nauigaturis voce denuntio. In illo æstu charybdis luxuriæ salutem vorat: ibi ore virgineo ad pudicitia perpetrandâ naufragia, Scylla cœu-
 nidens, libido blanditur. Hic barbarum littus: hic dia-

Hierony.
 Epist. 1.

Mundi pe-
 ricula.

diabolus pirata portat vincula capiendis. Nolite credere, nolite esse securi. Licet in modum stagni fufum æquor arrideat, licet vix summa iacentis elementi spiritu terga crispentur; magnos hic campus montes habet. Intus inclusum est periculum. Tranquillitas ista, tempestas est. Nec vnum monstri genus, aut vna pestis in hoc mari magno pertimescenda, sed omnia vndique mala perniciem minantur, luxuriæ fyrtes, honorum ac dignitatum scopuli, charybdis auaritiæ, Scylla libidinis, contentionum Symplegades, euripus sapientiæ; abyssus diuinorum iudiciorum. Nec desunt quæ in pericula pelliciant, aut adulationum aut voluptatum Sirenes. Harum suavi modulationi si quis aures occluserit, is demum sapit, ait Seneca: quibus ^{Seneca} ceram parum est obdere. Firmiori spissamento opus ^{Epist. 31.} est, quàm vsum in sociis Vlysses ferunt. Sirenum vox illa, quæ timebatur, erat blanda quidem, non tamen publica: at hæc quæ timenda est, non ex vno scopulo, sed ex omni terrarum parte circumsonat, & quasi grato celestimate ad vela explicanda, & rudentes expediendos inuitat.

At quo tandem præmio, aut quâ mercede propositâ, tam incerta suadet subire pericula, imò certa fatalis naufragia? Ventos promittit, aut si quid vento vilius est & inconstantius. Quid enim aliud braçteati dignitatum tituli? quid lemniscata nobilitatis stemmata? quid viscata fortunæ dona? quid bellè compta Veneris sterquilinia? quid melle oblitæ voluptatis illecebæ? quid denique sunt res omnes humanæ, quæ nos in breuia vitiorum fyrtesque pertrahunt, & ab æternæ salutis consiliis auertunt, nisi ventus, umbra, vapor, fumus, & ipsa vanitatum vanitas?

B 2

Nam

*Vanitas
multiplex
significatio.*

Nam siue vanum id esse velis, quod ad finem homini propositum nihil conducit; non tantum nihil conducunt, sed etiam auertunt à Deo, & aeternae beatitudinis nostrae scopo, res humanae: siue vanum id appelles, quod fallax est & mendax; an potest vlla fraus esse maior, aut mendacium perniciosius eo, quo nobis imponunt haec picta ludibria? siue malis id esse vanum, quod nihil in se complectitur solidi; quid fumulis ac fauillis atque adeo ipso vento excogitari potest inanius? seu denique vanum idem esse dicas, quod inconstans, fragile, caducum, variisque mutationibus obnoxium; quid aliud sunt res humanae, quam temporis ac fortunae spolia? sed immoremur tantisper in singulis.

*Gregorius
Nyssen. in
Ecclesiast.
Vanum idē
quod inuti-
le.*

*Res huma-
na ad scopū
beatitudinis
inutiles.*

Vanitas eorum dicitur, ait Nyssen, quorum nullus usus, aut quae magno studio & contentione facta sunt, nullo scopo proposito. Eiusmodi est, aduersus stellas eiectio, ventorum venatio, cursoris cum vmbra sua de velocitate concertatio, & si quae sunt eiusmodi, quae temere facta sunt, vanitatis verbo continentur. Ita prorsus alienum est à proposito Sapientis (vt absque ambagibus animi sensum eloquar) planeque vanissimum, diuitiis, deliciis, honoribus, ceterisque eiusmodi puerilibus crepundiis, quae apud homines in pretio habentur, inordinato affectu adherescere. Nimum quantum haec omnia dissident à scopo, quem nobis praefigimus, aeternae beatitudinis. Imensum est desiderium nostrum: haec omnia suis modulis dimensa sunt. Aeternum est desiderium nostrum: haec omnia breuissimi temporis limitibus coarctantur. Caeste ac diuinum est desiderium nostrum: haec omnia humana sunt, ne dicam infra hominem.

Qua-

Quænam igitur ab his tam futilibus bonis, ac ne bonis quidem, speranda quies aut beatitas? Fecisti nos Domine ad te, ait D. Augustinus, & inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te. Frustrà minora venamur solatia: animum infiniti Dei capacem, quidquid finitum est, Deoque minus, non explebit.

Augustinus
lib. 1. Confession. capite 1.

Tantum abest, ut mendacio (quæ fuit altera notio vanitatis) velut pabulo beatitatis pascatur. An ego beatos existimem, quos Scythiæ Sarmatiæque tituli, aut triginta Mithridatis Regnorum diadema nobilitat; cum non ignorem, quot mala, quot pericula, quot calamitates occultet infelix illa fascia? An eos suspiciam, quibus obuios submouet licitor, aut quos importuna clientum turba circumstat; cum sciam, neminem minus sui iuris esse, quam qui in plurimos sibi ius arrogauerit? An eos fortunatos esse dicam, qui sibi fortunam desponsasse videntur? Non magis certè, quam illos liberos, quibus ampla palatia pro carcere perpetuo designantur. Obruit illos quidem fortuna muneribus, sed totidem vinculis constrictos, sui iubet esse mancipij. An denique molles illos & effeminatos felices putem, quos supra hominum capita turbamque despectam lectica suspendit? quorum palato peregrini nemoris aucupia, remotique littoris piscatus inferuiunt; cum videam, delicatulos illos immodicâ saginâ nauseaque crudelius, quam pauperes inediâ atque egestate, torqueri? Personata est omnis ista felicitas: neque hæc lenocinia cuiquam, nisi stulto, aut volenti fortassis, os sublinunt. Sic oculis libenter imponimus, dum parietes miramur tenui marmore incrustatos, cum sciamus, quale sit istud quod absconditur. Et cum auro tecta perfundimus, quid aliud quam

Bona fortuna fallacia.

Seneca
Epist. 115.

mendacio gaudemus? scimus enim, sub illo auro fœda tigna latitare. Nec tantùm parietibus aut laquearibus ornamenta prætendimus; omnium istorum, quos incedere altos vides, bracteata felicitas est.

Huic vanitatis mendacio affine est, quòd Chrystomus & Nyssenus vanum definiunt, nomen aut sonum sine re. Nos addere possumus, corticem sine nucleo, flores sine fructu, titulum sine dominio, pallium sine Philosophiâ, mensam sine cibus. Et sanè nulli rei aptius voluptates profanas comparauero, quàm mensæ Heliogabali, quam ad ludibrium amicis instrauerat, in quâ cibi omnes è vitro, ad imitationem veritatis efficti, irritandæ potiùs, quàm sedandæ orexi inferuebant. Alium cibum mensæ voluptatis, aut, si mauiultis, vanitatis, magis accommodatum nullum inuenio, nisi fortè poma Sodomitica, de quibus sic habet Solinus, præ se ferre quidem illa speciem maturitatis, ceterùm speciosæ cutis ambitione fauillaceam intrinsecus fuliginem abscondi, quæ vel leui pressa tactu fumum exhalet, & fatiscat in vagum puluerem. Nihil certè à voluptate sperandum est maius.

Solinus
c. 36. &
Aug. l. 21.
de Ciuit.
c. 5.

Honores
vani sunt
& inanes.

Plurarch.
in Fort.
Alexandri
lib. 2.
Status.
Sueton. in
Caligulâ.

An præstantius forsân aliquid à titulis ac dignitatibus, quæ vulgus hominum tantopere suspicit? Profectò ne pueri quidem tam perditè insanunt, cum titulos inter se partiuntur, vt eos absque meritis, vllius pretij esse ducant. Nam *pueri ludentes, Rex eris, aiunt, si rectè facies*: at superbi & ambitiosi indebitis & inanibus titulorum fumis pascuntur. Quis non rideat Clearchum Heracleæ tyrannum, cognomento Ceranophorum, qui filium etiam Tonitrum appellauit? Quis non explodat Salmonea, Caligulam, aliosque nonnullos Iouis schemate insignibusque conspicuos?

Nec

Nec minùs Saporis est exhibilanda vanitas, qui se Regem Regum, participem siderum, fratrem Solis & Lunæ voluit indigetari.

Ammianus
Marcellinus
lib. 17.

Quid nunc reliquam fortunæ pompam explicem, quâ frequenter oculos imperitorum fascinat? Certè cum eius merces curiosius intueor, videor mihi ad Septentrionale Finnum emporium delatus, quibus inter ceteras merces solemne est ventos pretio vendere: aut in palatium aliquod Heliogabali penetrasse, qui, proposito præmio, millena pondo araneorum conqueri, & ad se deferri iubebat; collectaque dicuntur decem millia pondo araneorum, ex quo magnitudinem urbis Romanæ colligebat. Et verò, *quid habet amplius homo de omni labore suo?* Quid aliud agunt, qui instar araneorum seipsum exenterantes, diuitias tamquam optima vitæ subsidia conquirunt? *Oua aspidum rupe- runt,* ait Propheta, *& telas aranea texuerunt.* Sed frustra: *telæ eorum non erunt in vestimentum, neque operientur operibus suis.*

Bona fortuna inania.

Olaus 1.3.
cap. 15.

Lampri-
dus in He-
liogabalo.

Isaia 59, 5.

Postremo & illud ad cumulum vanitatis accedere dixi, quòd res humanæ numquam in eodem statu permanent, sed fragiles sunt, fluxæ, caducæ, ac perpetuis mutationibus obnoxie, non secùs ac ludicra quædam temporis & fortunæ pila; ac instar scenicæ cuiusdam representationis, in quâ reductâ cortinâ, totus ille theatralis apparatus evanescit, & spectatores repente destituit, aut certè spectatores ipsi è medio fabulæ, mortis interuentu subducuntur. Denique nil nisi pompa sunt, illi non absimilis, quam olim in apparatu Circensi Romæ vidit Attalus Philosophus; cuius opportunam cohortationem coronidis loco subnectam. *Vidistine,* inquit, *quàm intra paucas horas ille ordo,*

Res huma-
na fluxa &
instabiles.

Seneca E-
pist. 110.

quam-

quamuis lentis dispositusque, transferit? Hoccine totam vitam nostram occupabit, quod totum diem occupare non potuit? Hoc itaque mihi ipsi dico, quoties tale aliquid perstrinxit oculos, quoties occurrit domus splendida, cohors culta seruorum, lectica formosis imposita calonibus: Quid miraris? quid stupes? Pompa est. Ostenduntur res istæ, non possidentur: & dum placent, transeunt. Latius hoc docet Ecclesiastes exemplo rerum naturalium, dum subiungit:

SECTIO SECUNDA.

ECCLESIASTES.

VERS. 4. Generatio præterit, & generatio aduenit: terra autem in æternum stat.

5. Oritur sol, & occidit, & ad locum suum reuertitur: ibique renascens
6. gyrat per Meridiem, & flectitur ad Aquilonem: lustrans vniuersa in circuitu pergit spiritus, & in circulos suos reuertitur.
7. Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat: ad locum vnde exeunt flumina, reuertuntur vt iterum fluant.

METRICA PARAPHRASIS.

EHEU! fugaces orbita temporum
 Propellit umbras, omnia peritiam
 Vastare; nec vernans iuuentus
 Pegaseos remoratur annos.

Ætate

Etate fessum trudit auum nepos,
 Vitaque nato lampada dat. parens :
 Mortale nil longum, nec implet
 Vlla palingenesis ruinam :
 Sed damna fati posteritas nouo
 Solatur ortu, quæ tamen occidet,
 Rursum secuturâ priorem
 Progenie reparante turbam.
 Hanc terra scenam, hæc pegmata sustinet,
 Nutu Tonantis pendula in æthere;
 Quam perpetim fixam polari
 Mundi Opifex stabiluit axe.
 Hoc in theatro fabula luditur
 Soccis, cothurnis, syrmate, penulâ.
 Videtis? an me cusa portâ
 Somnia ludificant eburnâ?
 Et verò vita hæc quid nisi somnium?
 Sed & videtis. Syrmate turgidos
 Mentitur hic fastus Atride,
 Ille Neoptolemi furores.
 Hunc densa stipat turba clientium;
 Hic sortis audit filius aureæ :
 Hic Martio cultu superbus
 Fulmineos meditatatur enses :
 Hic orbis exul, pauperiem fugit,
 Extrema terre brachia porrigi
 Quâ spernit interfusa Tethys:
 Pauperis hic tugurî colonus
 Gaudet paterno findere sarculo
 Frustilla campi : hic sub Ioue frigido
 Pernoxque perdiusque, anhelis
 Terret apros nemorum moloßis :

C

Hæc

Hæc cor nouerca Colchidos exhibet,
 Hæc entheatos Bassaridum choros:
 Hæc pingit Inoos dolores,
 Hæc Hecalen tenui salino.
 Sed lætuosa dura catastrophe
 Cùm fata scenam & pegmata subruunt,
 Vanescit in ventos imago,
 Vt volucres equitat per auras
 Dux æstuosi turbidus Adria.
 Nil hic perennat: vertitur omnium
 Fatalis vrna; equis rotisque
 Proterimur fugientis æui.
 Vides, vt undis auricomum iubar
 Surgens Eois, vix medium æthera
 Fulgore inauret, cùm repenti
 Vergit ad Hesperium cubile?
 Rursusque lampas pensilis indidem
 Exorsa lucem, per Medium diem
 Gyrens ad Arctoum Booten,
 Præripitur gremio Amphitrites?
 Sic & volucres Æolida explicant
 Pennas in orbem, iam freta turbida
 Terrasque lustrali expiantes
 Flamme, iam nebulæ inane.
 Nunc fetus imbres parturit Africus,
 Nunc blanda adulant flabra Fauonij,
 Nunc stringit Arctos, nunc tumentes
 Asperat Euronotus procellas.
 Sic rauca circum flamina mugiunt
 Depræliantur, sic obeunt vices:
 Numquam orbe tutos æstuoso
 Alciones posuere nidos.

Sic

Sic perpeti cursu vaga flumina
 Ditant avarum gurgitibus mare:
 Nec scœnore vndarum tumescens
 Damnæ Thetis meditatur aruis.
 Quamuis Hydaspes diuite fabulâ
 Exaggerato confluat alueo,
 Nilusque septeno refusus
 Gurgite congeminet tributum,
 Auroque pragnans Hesperio Tagus,
 Tigris que adauctus mille loquacibus
 Per culta Medorum fluentis,
 Et Rhodani latices bicornis.
 Sed quid recursant ad Thetidos sinus?
 Matrem reuisunt, cuius ab vberè
 Per abditos terræ recessus
 Ad liquidas remeent scatebras,
 Rursusque venis irriguis fluant.
 O nexa rebus lubrica vanitas!
 O temporum fuga! ô polorum
 Præcipientes nimium rotatus!
 En hora tantille impatiens moræ,
 Quas texo laudes, ipsa sibi inuidet;
 Et syllabis carptim reuulsis
 Destituit fugitiua vocem.
 Si quidquid orbe est, præcipitat fugam,
 Si quidquid ortum est, vergit ad Hesperum;
 I conscium æuiternitatis
 Crede bonis animum caducis.

EST hoc imprimis sapienter à supremo rerum omnium Moderatore constitutum, vt oculis auribusque nostris obseruentur assiduè ortus obitusque rerum naturalium, & constans huius mundi sublunaris inconstantia: ne facile nobis imponant blandientis fortunæ ludibria, & pro auro scoriam, pro frumento paleam, pro veris solidisque bonis fumos nobis atque umbras obtrudant. Nam fortunæ quidem fucos, & eorum bonorum vanitatem explodere, quæ à solâ mortalium opinione imaginarium quoddam esse sortiuntur, negotij nihil erit, vbi constiterit, ea quoque vanitati subiecta esse, sine quibus hoc vniuersum non subsistit.

Fortuna
bona futi-
ta.

Seneca E-
pist. 71.
Mundus
ipse muta-
tioni sub-
iectus.

Matth. 24,
29.
2. Pet. 3, 10.

Natura-
lium rerum
mutationes.

I. Lipsius
lib. 1. de
Constant.
c. 16.

Aufus est olim pronuntiare Seneca: Nihil mutatio-
nis periculo exceptum: non terra, non cælum, non
totus hic rerum omnium contextus. Quamuis enim
Deo agente ducatur, non semper tenebit hunc ordi-
nem; sed illum ex hoc cursu dies aliquis deiiciet: ille
faltem, quo *stella de celo cadent, & virtutes calorum
commouebuntur, & elementa ignis calore soluentur.* Nec
absimile vero est, illum huc respexisse, cum Stoici et-
iam futuram *ἀπύερον* agnoscant.

Interim ne procul distita non satis oculos nostros
auresque feriant, presentia potius contemplemur.
Nihil hîc videmus opere aut manu factum, quod non
aliquando conficiat & consumat vetustas: nihil ab
Auctore naturæ conditum, quod non instar fluminis
prono alueo, ac perpeti cursu ad interitum tendat.
Est enim æterna lex à principio dicta rebus vniuersis,
nasci, deïasci, oriri, aboriri: nec quidquam stabile aut
fir-

firmum arbiter ille rerum esse voluit, præter seipsum. Solem hunc vides? perpetuo suo motu varias anni tempestates, accessuq; ac recessu dierum noctiumque spatia dispensat. Lunam intueris? non idem semper illi vultus; vt labores eius taceam, & luminis quandoque defectum. Quid nunc aëris intemperiem, ventorumque vicissitudines commemorem? Quid æstus Oceani, & arcanam illam naturæ vim, quæ, vt venti desint ac tempestates, brutum hoc elementum per alternos accessus & recessus exagitat? Quid nouam semper terræ faciem per funerum ac natalium vicissitudinem? nec iam singulos tantum homines, sed orbis novos, & orbi nostro prorsus obuersos? Quid nostri etiam orbis perpetuas mutationes, Romanorum colonias, vagas barbararum gentium discursationes, & publica, vt sic dicam, exilia?

Scythia olim, & totus ille ferarum gentium tractus, <sup>Populorum +
mutatio-
nes.</sup> ciuitates Achaïæ Ponticis impositas littoribus ostentauit. Regnum Neapolitanum, totumque illud Italiæ latus quod Inero mari alluitur, maior olim Græcia fuit. Tyrij Africam incoluerunt: Hispanias olim Pœni, nunc Gothi. Græci in Galliam se immiserunt, in Græciam Galli. Italiani Longobardi tenuerunt, Angliam Saxones. Sic aliis aliâ ex causâ suis sedibus expulsi, vix vlla terra est, quam indigenæ colant: permixta & insititia sunt omnia.

Sed exigua sit hæc rerum commutatio, quam Gen- <sup>Regnorum
vrbiumque
interitus.</sup> tium leuitas, patriæque fastidium inuexerunt: maior extitit ab vrbium ac Regnorum interitu. Florentissima quondam fuit Monarchia Assyriorum, Medorum, Persarum, Græcorum: sed quam leui momento versa est & euerfa tot inelytorum Imperiorum fortuna? Aut

enim vnius hominis effeminati luxus nouandarum rerum ansam præbuit, aut vnius noctis intempestiua comestatio Regni sedem euertit, aut vnius prælij aduersa fortuna cum Regno diadema transtulit, aut vnius iuuenis præmatura mors vix coalescentis Imperij membra distraxit. Quid vrbium aut vastitatem aut interitum commemorem? Vnus sub Tiberio terræmotus duodecim celebres Asiæ vrbes euertit: totidem alius oppida Campaniæ sub Constantino: & vnum aliquod Attilæ bellum plus quàm centena. Veteres Ægypti Thebas vix fama retinet: Hecatompolis Creta nunc fabulæ quàm historiæ propior. Inclytum fuit olim Salomonici Regni caput Ierosolyma: nunc veteris opulentia nullum vestigium. Iudæi cunctis longè lateque formidabiles; nunc extorres, vagi, fugitiui, mediastina orbis mancipia. Æmulæ quondam Romani Imperij ciuitates, Carthago & Numantia, nunc mapalia, fauillæ, ac rudera. Et campus, vbi Troia fuit. Illa ipsa quondam

Mart. l. 12.
Ep. 8.

Terrarum dea Gentiumque, ROMA,
frustrà occultato genio æterna vrbs, toties in suis ipsius ruderibus sepulta, ambitiosè quæritur, nec inuenitur in suo solo. Et vos meæ Brugæ, Athenæ quondam Belgicæ, nobilitatis delictum, florentis Europæ notissimum emporium: quæ apud exterarum nationum Flandrorum nomen, velut commune Belgarum, celebrastis, quod tandem exhibebitis antiquæ dignitatis vestigium? Vix vmbra tanti nominis est reliqua: rem ipsam Principum furor Antuerpiam, orbis ocellum, Belgij gemmam, transtulit, quæ tamen ipsa vix pristinum iam splendorem tuetur. O mira, nec satis vquam comprehensa necessitatis lex! Abeunt omnia in
hanc

hanc nascendi pereundiq̄ue vicissitudinem: & longæuum aliquid in hac esse machinâ potest, at nihil æternum.

Ex hac rerum sublunarium fluxâ fragiliq̄ue naturâ varia hoc toto ferè Capite consuetaria colligit Ecclesiastes. Ac primùm illud, quod vnico verbo paulò antè delibauimus; cùm hæc omnia fluxa sint & caduca, Verf. 3. nullum in hac vitâ laboris sui præmium homines referre, præter vanitatem, & inane nihil. Deinde, cùm Verf. 8. nihil hîc stabile consistat, sed omnia perpetuo motu fluant ac diffluant, non satis eorum naturam oculis auribusq̄ue notari posse; proindeq̄ue nec solidam haberi scientiam. Tertiò, cùm omnia recurrant in hunc nascendi ac denascendi fatalem gyrum, nihil esse sub Verf. 9. 10. Sole nouum, sed quæ præteritis sæculis dilapsa sunt, postliminiò restaurari. Denique, cùm hîc perpetuo Verf. 11. fluxu cuncta dilabantur, non exstare apud posteros eorum memoriam quæ diffluxerunt.

Sed nunc primo consuetario paulisper insistamus; & quam in rebus naturalibus fluxam fragilemque naturam deprehendimus, eandem rebus humanis fortunæque donis inesse demonstremus. Docet hoc in primis eleganti mimo Laberius: *Fortuna vitrea est, quæ dum splendet, frangitur.* Splendida sunt eius dona, honores scilicet ac diuitiæ: quis neget? sed quid in his non vitreum? quid non fragile & caducum? Demetrium Phalereum cogitatione paulisper intuemini, optimis Honores fragiles. Str. bo li. 9. olim legibus atque institutis Republicâ Atheniensium stabilitâ, ad summum dignitatis apicem euectum, eaque causâ trecentis æneis statuis totâ Atticâ erectis cohonestatum: tantum tamen valuit quorundam inuidia, vt in Ægyptum spontaneus exul profugerit, eius-

ciusque statuae fuerint in matulas conflatae. Cn. Pompeius supra rerum humanarum fastigium olim euectus, montes aureos in triumpho Romanis ostenderat: idem ille tamen glebam terrae in alieno littore desideravit, postquam de eius capite pupillus & spado tulere sententiam. Et quoniam è Regno in seruitutem cadere, ipsam mortem censetur acerbius: ne hoc quidem facinoribus suis deesse voluit fortuna, cum Hecubam Vlyssis seruituti subiecit, Cræsum Cyro, Darij matrem Alexandro mancipavit.

Plinius lib.
37. cap. 11.

Diuitia
fluxa.

Florus li. 3.
cap. 11.

Baronius
to. 7. a. 561.

Boët. lib. 2.
de Consol.
Prosa 2.

Rerum hu-
manarum
vanitas
contemnen-
da.

Nec melius cum iis actum est, qui velut in theatro missilia fortunae, diuitias inquam, avido sinu exceperunt. Quis ignorat, aurum M. Crassi capiti per ludibrium infusum? Quis non obstupescit, Belizarium post opes Regibus inuidendas luminibus orbatum, & ad mendicabula redactum, stipem in compitis à prætorentibus corrogasse? Nec est tamen, cur de iniuriâ acceptâ cum fortunâ quisquam expostulet, quæ suo quasi iure sic apud Boëtium se tuetur: Quid tu, ô homo, ream me quotidianis agis querelis? quam tibi fecimus iniuriam? Hæc nostra vis est: hunc quotidie ludum ludimus. Rotam volubili orbe versamus: infima summis, summa infimis mutare gaudemus. Ascende, si placet: sed eâ lege, uti, cum ludicri mei ratio poscet, descendere iniuriam ne putes.

Quæ cum ita sint, nihil est mortali conducibilius, quam ut hæc mortalia velut ymbbras contempletur, honores velut fumi globum existimet; qui quò altiùs extollitur, latiusque intumescens diffunditur, eò faciliùs in ventos evanescit: diuitias instar iridis esse reputet, quæ vano splendore perniciem suam occultent, & spectantium oculos, mox lacrymas daturæ, fallant. Denique,

nique, vitam hominis nihil nisi vanam in theatro fabulam, scenæque imaginem esse iudicet: quos hîc diuites, potentes, in dignitate constitutos viderit, personatos histriones arbitretur, eorumque sortem nihil nisi personatam felicitatem. Denique, quemadmodum Augustus moriens, barbâ decenter compositâ, & censore speculo castigatâ, amicos interrogavit, ecquid vitæ mimum aptè representasset; sic homo nihil maiori curâ providebit, quàm vt impositam à Deo fortunâque nascendi personam decenter sustineat, atque ita in rebus humanis versetur, tamquam in theatro fictam fabulam aut spectet, aut repræsentet, quæ, adductâ cortinâ, ex oculis animisque mox evanescat. Nunc ad alterum Ecclesiastæ confectarium gradum faciamus.

SECTIO TERTIA.
ECCLESIASTES.

VERS. 8. Cunctæ res difficiles^a: non potest eas homo explicare sermone. Non saturatur oculus visu^b, nec auris auditu impletur.

^a id est, morose, non facientes sui copiam.
^b Non subsistunt donec oculis vel auribus fiat satis.
Ita Isidorus & Campensis.

METRICA PARAPHRASIS.

NON sic nubiuagi fulminis armiger
Alarum nebulas remigio secat
Dum vestigia cursus
Confundit liquido aethere:
Non sic Pegaseo nuntius impete
Transmittit spatij concitus equora:
Non sic igne vapores
Vanescunt Hyperionis:

D

Non

Non sic prata nouis picta Fauoniis
 Æstiu spoliat solstitij iubar,
 Cum Dictynna citatis
 Noctem præcipitat rotis:
 Ut res, quas Opifex condidit ætheris
 Nosci difficiles, agglomerant fugam,
 Furtiueque fruentum
 Raris vsibus inuident:
 Iuratæque sui non dare copiam,
 Fallunt peruigilis lumina Lyncei;
 Naturamque fugacem
 Nec vis percipit ingeni,
 Nec suadela potest eloquio exequi.
 Quid solertem aciem, quid vaga lumina
 Spargens orbe patenti,
 Quæris pabula sensibus?
 Quæ tu delicias luminibus putas,
 Visus destituent vana famelicos,
 Ut conspecta Creusæ
 Iuxta Dardanos rogos
 Umbra Anchisiaden lusst amabilis:
 Aut vt bulla tibi turgida flamine,
 Dum palatia visu
 Aut Pestana rosaria
 Obiectat cupido, aut astra adamantina,
 Formosum referens in speculo typum,
 Leni faucia flatu
 Frustrata intuitum perit.
 Aut quorsum bibulis pendulus auribus
 Irritas Sophie tabificam sitim?
 Non si Nestoris annis
 Docto ex ore pependerit,

Doctri-

*Doctrinæ pelagus te satiet, neque
Sedet multiplici fonte cupidinem. Heu
Quantum à limite vitæ
Distat meta scientiæ!*

PROSA EXEGESIS.

EAMDEM veterum fuisse querelam, patet ex hoc celeberrimo Hippocratis Aphorismo, quo nobilissima illa Medicinæ præcepta exorditur: Vita brevis, ars longa, occasio præceps, experientia periculosa, iudicium difficile. Et mirum sanè, ni Momus aliquis hinc ultra querimoniam terminos progressus, etiam convitium Auctori naturæ fecerit. Certè parum abfuit, quin faceret Theophrastus, qui, teste Laërtio, grauer de naturâ questus est, quòd coruis, ac ceruis, aliisque nonnullis animalibus, quæ ad pastum ac ventrem prona finxit, tam diuturnam ætatem dederit (nam coruis supra centum annos tribuit Albertus Magnus) homini verò, ad intelligendum & agendum nato, vitam dederit tam angustis limitibus circumscriptam. Et verò cum, teste Philosopho, scientiæ rerum sint æternæ, tametsi homo tempus suum auarissimè dispenset, & vsque vltimos ætatis humanæ terminos procedat, tamen ad immortalium cognitionem nimis mortalis est. Emicat ille quidem subinde, maior omni contagione terrenâ, & ad rerum diuinarum humanarumque cognitionem degustandam, supra carnis concretionem sese erigit; sed aut propriâ mole confestim deprimitur, aut certè propter rerum naturalium obscuritatem, inconstantiam, motumque perpetuum ac fluxum, optato animi pabulo frustratur.

Quod quidem minus habet admirationis in rebus diuina
obscuris sunt.

D 2

diui-

Hippocr.
lib. 1.Aphor. 1.
Vitam brevis ad
cognitionem
rerum naturalium.Laërtius.
Cicero
Tuscul.Albertus
Magnus in
lib. 9. Aristot. hist.
c. 20.

diuinis, quas suspicere nos potius Numen voluit, & religioso silentio venerari, quàm curiosâ indagacione perscrutari: eoq̃ue consilio procul eas ab adsp̃ctu nostro subinouit, & quasi per nebulam ostendit. Magnis enim maior ex obscuro est reuerentia. Sed in rerum creatarum disquisitione longè alia est ratio. Deus enim hominẽ spectatorem operum suorum in hunc mundum induxit, ait Epictetus, nec spectatorem tantum, sed enarratorem & præconem. Curiosum enim ingenium nobis natura dedit, inquit Seneca; & artis sibi ac pulchritudinis suæ conscia, spectatores nos tantis rerum spectaculis genuit, perditura hunc sui fructum, si tam magna, tam clara, tam subtiliter ducta, tam nitida, & non vno genere formosa, solitudini ostenderet.

Epictetus
in Dissertation.

Homo natus ad contemplandas res naturales.

Seneca de Otio sapientis, c. 32.

Res naturales obscuras.

Quæ cum ita sint, quis cogitatione assequi poterit, cur sapientissimus ille rerum omnium moderator Deus, qui hominem in hoc vniuerso res à se conditas voluit contemplari, easdem ita difficiles, id est morosas, procrearit, vt vix, ac ne vix quidem, curiosis oculis auribusq̃ue sese communicent? Vsu iam, vel fastu potius, in mores introductum est, vt delicatulae illæ Magnatum vxores vix faciant sui videndi copiam: nam aut palatio se continent, aut personata tectaque prodeunt in publicum. Eundem in Sardanapalo seu fastum seu luxum Proceribus displicuisse, testatur Athenæus: & Sinarum Regem subditorum neminem, præter eunuchos aliquot palatinos, ad conspectum admittere, tradunt eius historiæ Scriptores. Non absimilem res creatas ludum ludere, nobisq̃ue illudere, quis non animaduertat? Quædam enim ita reconditæ sunt, vt vix vnquam sub adsp̃ctum cadant: quædam verò sic obiter & cursim exhibentur, vt per theatrum

Athenæus
lib. 12.

Nicolaus
Tigault.
lib. 4. Expediit, ad
Sin. c. 12.

trum huius vniuersitatis rapi, non cupidis spectatori-
bus ostendi videantur.

Ac imprimis, quàm multa oculis nostris abscondit
natura, aut intra terræ viscera depressa, aut nubibus
ipsis ac caloribus orbibus inserta, quæ aut tempus eru-
derauit, aut collectis, vitri subsidio, speciebus, vt vo-
cant, explorata sunt? Vidimus his annis pulcherrima
quædam effossa mineralia, quæ ad nullum metalli
genus pertinere, periti censebant. Et quis hæcenus
Astrologorum Ioui satellites suos inter Planetas affi-
gnauit? Quis Venerem instar Lunæ pulcherrimis cor-
nibus crescentem ac decreascentem obseruasset, nisi hoc
sæculo nostro tubus opticus emerisset? Non ignoro,
Varronem apud D. Augustinum iam olim asseruisse,
stellam Veneris, quam Plautus Vesperuginem, Home-
rus Hesperon appellat, colorem mutasse, magnitudi-
nem, figuram, cursum: sed ille nonnulla per caliginem
coniecturis assecutus, inuenit potiùs confusum quid-
dam, quod tamquam portentum sibi incognitum su-
spiceret, quàm quod ex propriâ naturæ ratione stabi-
liret. Nos autem, pauculis hisce è longâ sæculorum
nocte eruderatis, cum de reliquis, quæ latent, conie-
cturam facimus, meritò possumus exclamare: Quan-
tum est, quod ignoramus!

Alterum genus illorum est, quæ cursim atque obi-
ter ostenduntur: de quibus meritò pronuntiat Eccle-
siastes: *Non saturatur oculus visu, nec auris auditu imple-*
tur. Quid ita verò? quia nimirum quidquid in hoc
vniuerso sub adspæctum cadit, aut inquieto motu in
orbem rapitur, aut perpetuo fluxu dilabitur, aut ortus
obitusque vicissitudine fluctuat, aut denique (quod
homini tribuitur à Prophetâ) *quasi flos egreditur,* et Iob 14.

Seneca
Epist. 58.

conteritur, & fugit velut umbra, & numquam in eodem statu permanet. Quæcumque hîc videmus ac tangimus, in illis Plato non numerat quæ esse propriè putat. Fluunt enim, atque assiduâ diminutione atque adiectione sunt. Corpora nostra rapiuntur fluminum more: quidquid vides, currit cum tempore. Ego ipse, dum loquor ista mutari, mutatus sum. Hoc est quod ait Heraclitus, In idem flumen bis non descendimus. Manet idem fluminis nomen, sed aqua transmissa est. Hoc in amne manifestius est, quàm ceteris in rebus: sed illas quoque non minùs velox cursus præteruehit, vt numquam aut oculus aut intellectus iis solidè pascatur, sed raptim tantùm præteruolans hinc inde aliquid deliberet, ne cognoscendi occasio (quam meritò præcipitem dixit Hippocrates) de manibus elabatur. Hirundines idcirco perniciosissimo esse volatu tradit Plinius, quia cum volando pascantur, & quæ iis in escam data sunt, muscæ scilicet culicesque, similiter per aëra volent: facillè hæc irrequieto motu suo venantibus elaberentur, nisi maiori hirundinum pernicitate vincerentur. Intellectus verò noster, cum tantâ pernicitate naturas assequi non possit, lubricâ suâ inconstantiâ, continuoque motu, se priùs subducunt, quàm iisdem oculus, quantum satis est, animusque pascatur. Deus bone! quanta hinc vanitas, non tantùm earum rerum quæ humanæ cognitioni substernuntur, sed ipsius etiam hominis, elucescit? Qui licet à cedro Libani disputauerit vsque ad hyssopum quæ nascitur de pariete, & , tamquam exploratâ rerum naturâ, seipsum magnificè circumspexerit; vix est tamen, vt solidam alicuius rei scientiam profiteri possit; sed, si quid eius labori industriæque tribuendum est, doctam potiùs

Plinius lib.
10. c. 24.
& 25.

tiùs ignorantiam, quàm veri nominis scientiam, illi concedam.

Interim non possum, quin ex hac non minùs rerum humanarum, quàm scientiarum vanitate, fructum aliquem decerpam, quem è simili tractatione percepit Seneca, qui sic ad Lucilium, Quæris, inquit, mi Lucili, quid de istis capiam quæ modò tractauimus, remotis à reformatione morum? Quid ex istis traham, quod cupiditates meas comprimam? Vel hoc ipsum, quòd omnia ista, quæ sensibus seruiunt, quæ nos accendunt & irritant, negat Plato ex iis esse quæ verè sint. Igitur ista imaginaria sunt, & ad tempus faciem aliquam ferunt: nihil horum stabile nec solidum est; & nos tamen cupimus, tamquam aut semper futura, aut semper habituri. Mittamus animum ad ea quæ æterna sunt, illa despiciatui habentes quæ fluxa & caduca sunt, quæque, vt mox docet Ecclesiastes, nihil nouum, nihil admiratione, nihil pretio dignum continent.

*Res humanae vt fluxa contemmen-
da.*

*Seneca
Epist. 58.*

SECTIO QUARTA.

ECCLESIASTES.

VERS. 9. Quid est quod fuit? ipsum quod futurum est. quid est quod factum est? ipsum quod faciendum est.

10. Nihil sub Sole nouum, nec valet quisquam dicere: Ecce hoc recens est: iam enim præcessit in sæculis, quæ fuerunt ante nos.

METRI-

METRICA PARAPHRASIS.

NEQVIDQVAM *stimulis agit*
Egredientem animum dira scientiæ
Prurigo, atque inhians nouis
Ieiuna esuries vana cupidinis.
Quisquàmne hæc reputet noua,
Quæ diu præteritis cognita sæculis?
Miraris trifidâ face
Fumantes scopulos Acroceraunia,
Ætnæisquæ vaporibus
Fuscari igniferi lampadas ætheris?
Iam diu sulphureo patres
In busto Sodomæ consimiles rogos
Spectarunt. Thetidem stupes
Spumosi immemorem littoris, obstrepera
Vnda seditionibus
Affectare patenti imperium solo?
Iam dudum imperiosius
Vndantis pelagi bruta volumina
Noëam nemorum iugis
Inuexere ratem; cùm Libanitidum
Proteus æquoreum pecus
Cedrorum dedit intonsa cacumina
Depasci, & maris incola
Nidis accipitres expulit alcyon.
An fors insolitum putas
Suffosis grauida visceribus Rheæ
Mundi arcana reconditi
Panè è tartareis sedibus erui?
Auri sacra fames diu
Expulsa exilio fidereis plagis,

Per

Per confinia Tartari

Reptauit, rutili præda inhians luti.

An fors æmula montium

Luxu regifico surgere culmina, &

Moles molibus additas

Miraris liquidis nubibus obuias?

Jamdudum Iapeti genus

Affectans rutilis sideribus viam,

Famoso æquore Sennaar

Insanis speculam molibus extulit,

Transscendens Hyadum lares,

Arctoæque niuis, raucaque fulminum

Regna. An forsitan asseris

Mentes ingenuis artibus inlytas

Accendisse scientiæ

Non comperta prius lumina? Nil agis?

Cum nostri generis sator

Dia plasma manus viribus ingeni

Diuina penetrata

Lustrarit Sophie, multaque viderit

Inconcessa nepotibus.

Nil sub Sole nouum: sed velut ætheris

Seruant excubiæ vices,

Alternis que perit sideribus decor;

Et nunc Sol roseum caput

Immergit Pelago, Leucothoës nouis

Nunc cunabula deserit

Cristatus radius, nec tamen est nouus,

Sic terræ faciem nouat,

Alternatque vices orbita temporum:

Et quæ bruma peremerat,

Vitali reparat sorte Favonius;

E

Sic

Sic quod corripuit prior
 Ætas, & tenebris texit inertibus,
 Ætas fera nepotibus
 Spectandum referet, ne tibi sit recens,
 Quod lux crastina parturit.
 An scire est animus postuma sæcula
 Quam rerum segetem dabunt?
 Quam dilapsa retrò messuerit dies.

PROSA EXEGESIS.

TERTIVM hoc est Ecclesiastæ consecrarium, quod ex motu rerum naturalium, ortusque & occasus vicissitudine colligit, *Nihil sub Sole novum.* Præsentissimum antidotum non tantum aduersus curiosam sciendi pruriginem, sed etiam aduersus immodicos æstus cupiditatum. Si enim nihil noui scientia labore suo consequitur, merito vanitatis ac dementiæ redarguuntur ij, qui corpoream hanc mundi molem curiosè perscrutantes, tantâ superbiâ efferuntur, ait Augustinus, ut inter astra, de quibus disputant, cum Lucifero solium collocare videantur. Frustrâ etiam sunt, qui noua semper cupiditatibus suis fomenta conquirunt, si nihil admodum reperire est in hoc vniuerso, præter ea, quæ antiquos voluptatis asseclas famelicos, ac beatitudinis expertes reliquerunt.

Sed priusquam vero sensu verba Sapientis enucleem, sequestrandus est mihi à cæcâ Philosophorum quorundam Epicureorum, Pythagoricorum, maximeque Stoicorum turbâ. Illi enim ut in posterum eadem recursura demonstrarent, quæ præteritis sæculis dilapsa sunt, nescio quæ non somnia venditarunt, nescio quam non palingenesiam, metempsychosin, ecpyrosin,

Nihil in orbe nouum.

Curiositas vana. Augustinus de Moribus Ecclesiæ, cap. 21.

Rerum naturalium reuolutio.

fin, cataclysmum, rerumque omnium reuolutionem finxerunt. Et hæc omnia magno Platonis anno futura pronuntiarunt: sed huic anno vix certus ab illis annus assignatur. Iulius Firmicus hanc rerum omnium redintegrationem ac reuolutionem post trecenta millia annorum ait recurrere. Macrobius hunc annum Mundanum (sic enim appellat) quindecim millibus annorum definit: Orpheus centum viginti millibus: Cassander tricenis sexies centenis millibus. Salui sunt: nihil timendum est, ne quis superstes eos mendacij redarguat.

Iulius Firmicus l. 3.

Lipsius l. 2. Physiolog. Stoicæ c. 22.

Redintegrationem ita fieri volunt Stoici. Cum tempus aduenerit, ait Seneca, quo renouaturus se mundus exstinguat, sidera sideribus incurrent, & omni flagrante materiâ, vno igne, quidquid nunc ex disposito lucet, ardebit. Et quidem repentino impetu. Nam, vt alibi scribit, natura ad originem rerum parcè viribus suis vtitur, dispensatque se incrementis fallentibus: subitò ad ruina, & toto impetu venit. Quàm longo tempore opus est, vt conceptus ad puerperium perducatur infans? quantis laboribus educatur & adolescit? at quàm nullo negotio soluitur? Vrbes constituit ætas, hora subuertit. Memento fit cinis, diu silua.

Mundi exustio. Seneca Consol. ad Marciam.

Seneca l. 3. Natural. Quæst. c. 27. Diu nati momento pereunt.

Præmissâ igitur hac * *ἐπιπέσοι*, sequitur * *κατακλινομένης*. * exustione, * diluuium. Mundi diluuium.

Nullâ enim re aliâ exustæ res poterant renasci, ait Firmicus, & ad pristinam faciem formamque reuocari, nisi admixtio esset, & concretus puluis fauillarum, omnium genitalium seminum conciperet fecunditatem.

Hinc deinceps palingenesia, orbisque non tam nouus, quàm postliminio idem renascens. Non enim semper ea licentia erit vndis, ait Seneca, sed peracto exitio generis humani, extinctisque pariter feris, in quarum homines ingenia transferant, iterum aquas

Mundi re-generatio.

Seneca l. 3. Quæst. c. 29.

terra forbebit, & reiectus è nostris sedibus, in sua secreta pelletur Oceanus: antiquus ordo reuocabitur: omne animal ex integro generabitur: dabiturque terris homo inscius scelerum, & melioribus auspiciis natus.

Imago futurorum sunt præterita.

Seneca
Epist. 36.

Sed facesiant hæc bella commenta, & gratuita otiorum somnia. Non ea mens est Ecclesiastæ, cum dicit, *Quid est quod fuit? ipsum quod futurum est*; sed imaginem speculumque futurorum vult esse præterita, & eadem ratione redhibitionem præteritorum velut in imagine vult esse futura. Æstas abit, sed alter annus illam adducet: hiems cedit, at referent illam sui menses. Solem nox obruit, sed ipsam statim dies abiget. Pars cæli leuatur assidue, pars mergitur: & eadem in terris rerum vicissitudo, veterumque restauratio. Quod vsque adeò verum est, vt ne illa quidem, quæ singularia, inusitata, & vsque ad miraculum portentosa, aut etiam fabulosa habentur, absque gemellis in hac rerum circumuolutione reperiantur. Fabulis non pauci adscribunt Platonium in Atlantide insulâ diluuium: vti & alterum Deucalionem Poëtis tantopere decantatum; & Mexicanum illud, cuius meminit Lupus Gomara. Sed fidem illis adstruit nouum illud Mexicanum, quod à triennio contigisse accepimus. Et vt de portentosis flammaram eruptionibus aliquid attingam, vidi ante annos quinque montem Vesuuium, vinctis agrisque aruis amœnissimum, simul ac fecundissimum; vt fabulæ, quàm historiæ, mihi propius visum fuerit, quod de flammis eius ac cineribus scribunt Strabo & Columella: sed profectò antiqua prodigia cumulatissimè repræsentauit annus præteritus, cum ingenti boatu tantam cinerum ac fauillarum vim eructauit, vt agris oppidisque ad multa passuum millia vasti-

Strabol. 5.
Columella
l. 10. c. 14.

vastitatem intulerit; aëremque tam liuidis, igneis, sulphureisque nebulis textit, ut vicina Neapolis Gomorrheum aliquod incendium, aut extremum iudicij diem instare suspicaretur.

Quod si ea quæ magnitudine eximia sunt, aut genere ipso singularia, non tamen absque exemplo sunt, nec ita inusitata, ut non prioribus sæculis paria contigisse commemorentur; quanta est eorum vanitas, qui si quid studio iudustriaque non cuius obuium videntur affecti, cum Archimede discursantes clamant, *Εὐρηκα, εὐρηκα*; aut ita magnificè de se sentiunt, tamquam si latentem in Democriti puteo veritatem, aut scientiam aliquam terris hactenus inauditam, in lucem protulissent? Quid enim, amabò, dicent, quod non dictum priùs? aut quam nouam terris parturient scientiam, cum nullum sit in orbe nouum scientiæ obiectum? An verò maiora sibi ad comparandas scientias naturæ gratiæque præsidia, quam præscis illis *Θεοδιδάκτοις*, & qui ab ipsis rerum incunabulis propiùs abfuere, vindicabunt? præsertim cum effetis hac ætate corporum sensuumque viribus, animi quoque vigor non parum defloruerit?

Norint igitur scioli illi, nouitatis admiratores, & ætatis suæ stolidi præcones, non defuisse antiquis sæculis, siue qui Theologiæ, siue qui Philosophiæ aut Astrologiæ laude floruerint. Primus enim, qui ceterorum parens, idem & Magister fuit Adamus, cui etiam geminæ illæ columnæ siderum ac scientiarum notis insculptæ à Iosepho tribuuntur. Hic cum Mathusalæ conuixerit annis ducentis octoginta duobus, omnem illi diuinam humanamque scientiam tradidit. Rursus Noë cum Mathusalæ synchronus fuerit annis omnino

*Scientia
nulla noua
est.*

*Scientiarum
origo.*

*Iosephus
l. i. Antiq.
c. 4. Pineda
in Salomon.
mon. Præu.
l. 3. c. 27.*

sexcentis, facile huic fuit omnem sapientiæ scientiæque rationem nepoti suo transcribere. Denique cum Noë Abrahamo conuixerit annis quinquaginta sex, restat ut docendi munus ac potestas ab eodem deuoluta sit ad Abrahamum; ex quo deinceps antiquitas ac fama sapientiæ ad Chaldaeos Ægyptiosque redundauit. Hos deinde Græcorum primipili magnis itinerum facultatumque dispendijs iuere consultum. Denique nullum pænè fuit sæculum, cui non sua laus ac splendor sapientiæ debeatur. A quâ dum nouitatis studio, vanæque gloriæ cupiditate, ad auia deuiaque deflectunt nostri temporis hæretici, & vana sui cerebri commenta libentiùs exoculantur, quàm vnanimem Patrum Conciliorumque consensum; Deus bone! quas non pestes orbi Christiano, quæ non opinionum portenta pepererunt?

*Nouitas
periculosa.*

Tolerabilior esset hic nouitatis pruritus in scientiis naturalibus, si intra naturæ terminos subsisteret. Sed videas ita nonnullos Copernici alicuius, aut Galilæi, fomnia adorare, ut de veritate sacrarum Litterarum citiùs, quàm de eorum pronuntiatis, ambigant. Quemlibet, inquiunt, sensum habeat illud Ecclesiastæ, *Oritur Sol, & occidit, terra autem in æternum stat*; dummodò verè pronuntiarit Copernicus cælum stare, terram perpetuo motu in orbem rapi. Quâ tandem ratione ducti? Quia nimirum, stante Copernici sententiâ, salua sunt phænomena. Quid tum verò? An minus erunt salua, si Ecclesiastæ sententiam venerati, cælum mobile, terram stabilem posuerimus? En quàm leui momento à tritâ maiorum semitâ scioli nostri desciscant.

*Præsertim
in sacris
Litteris.*

At, inquiunt, pulchrum est, nouis repertis opibus ingenium locupletare, & non instar ouium torrentem

Docto-

Doctorum sequi. Vanissimi homines! dum nouitate maximè delectantur, non aduertunt, se vetera Pythagoræ & Aristarchi dogmata refodere, quæ à melioribus Philosophis iam diu explosa & sepulta, sub terrâ computruerunt: vt mittam, eos grauissimæ Eminentissimorum Cardinalium sub PAVLO V. censuræ subiacerent. Adeò semper verum est illud Senecæ:

Constitit nulli via nota magno.

Seneca in
Medæâ.

Ite quâ tutum populo priori.

Longè profectò consultius Lacedæmonij Timothei Milesij citharam in pœnam ad sciadem suspenderunt, quòd quatuor fidibus additis, nouam Musicæ formam inuexisset: quod numquam in Republicâ fieri sine legum, & quidem præcipuarum, mutatione, censebat Plato. Nec feliciùs sua nouitas Ptolomæo Lagi successit: qui cum Ægyptiis camelum Bactrianam, toto corpore nigram, hominemque bicolorem inter spectacula produxisset, totius in se multitudinis indignationem concitauit, non immeritò iudicantis, pulchra atque concinna nouis ac turpibus esse præferenda.

Pausanias
in Laco-
nicis.

Plato Dia-
log. de Iu-
stinâ.
Causin.
l. 4. Poly-
hist. Sym.
63. ex Lu-
ciano.

Similiter vanitatis arguuntur diuitiarum mancipia, & voluptatis asseclæ, qui noua semper cupiditatum fomenta somniant: quasi in permutatione malorum aliqua possit inesse beatitas, quæ vni solidorum bonorum possessioni contingit. Fuerunt olim diuites, sed infelices: voluptatis asseclæ, sed infames ac turpes: ambitiosi, sed in summis honoribus vilissima mancipia. An noua plus ad beatitatis summam momenti habitura existimant? aut post tot condimenta fesso voluptatis ore delibata, post tot cupediarum artifices atque opifices, quot olim protulit Imperium Romanum, aliquid in orbe putant esse noui? Quid, obsecro, poterunt

Cupiditas
frustrâ no-
uum pabu-
lum querit.

com-

comminisci, quod non olim compertum atque exploratum fuerit Apiciis, Æsopis, Claudiis, Vitelliis, Helio-gabalis? Quæ fercula mensis apponent, quæ non olim comprehenderit ingens ille sub Claudio Mineruæ clypeus? Quas verò auaritia nouas explendæ cupiditati vias aperiet, si ne subterranei quidem specus, & ipsa inferorum suburbia (hac ætate non minori periculo, quàm industriâ, subterraneis cuniculis perlustrata) priscais sæculis intacta atque inexplorata fuerunt? Atqui auctor est Asclepiodorus, demissos olim quamplurimos à Philippo Macedone in metallum vetus, olim destitutum, vt explorarent, quæ vbertas eius esset, quis status; an aliquid futuris reliquisset vetus auaritia: nec reperisse illos quidquam, præter ingentia flumina, & conceptus aquarum inertium vastos, & sub aternâ nocte vacua multorum dierum itinera. Vnde perspicuum est, sæculum nostrum non vitiis nouis, sed iam antiquitus traditis laborare; nec ætate nostrâ primùm auaritiam venas terrarum lapidumque rimatam, in tenebris à naturâ meliùs obstrusa perscrutatam: sed ante Philippum etiam Macedonem Reges fuisse, qui pecuniam in altissimas vsque latebras sequerentur; & relicto spiritu libero, in illos se demitterent specus, in quos nullum posset noctium dierumque peruenire discrimen. Quòd si nihil noui, neque ad explendam ingenij curiositatem, neque ad extinguendam cupiditatum sitim, hominum assequi possit industria, nõne vanus est omnis noster in perscrutando labor, qui dies noctesque sollicitos nos habet atque exercitos? Quid est igitur, quod labores nostros tantopere extimulat in hac vitâ mortali, & spem facit inueniendæ alicuius nouitatis? Alia scilicet

Seneca l. 5.
Natural.
quæst. ca-
pitæ 14.

licet non minor hac vanitate vanitas, quod nimirum antiqua illa, quæ refodimus, iam dudum obliuione sepulta sunt; quod est quartum Ecclesiastæ con-
fectarium.

SECTIO QUINTA.
ECCLESIASTES.

VERS. II. Non est priorum memoria: sed nec eorum quidem, quæ postea futura sunt, erit recordatio apud eos, qui futuri sunt in nouissimo.

METRICA PARAPHRASIS.

EXCVTE *prisci serinia sæcli:*

Vetera agnosces, quæ noua reris.

Sed nos cui rota præcipitans

Ad Letheos abripit haustus:

Et velut horâ truditur hora,

Luxque fugacem lucem interimit;

Sic quod lapsò tempore gestum est,

Quæ ponè subit, proterit etas.

Vbi tot clari decora ingenij,

Quot multiplici sapiens partu

Charæ soboli fudit Adamus?

Vbi nunc artes, quas caelesti

Propius fonti diuite venâ

Protulit æuum? Tot ubi heroës

Inchyta nati sidera mundi?

Vbi Noëam mersa tulerunt

Sæcla carinam, vix bis denos

Numero ex omni nouisse datum est.

F

I nunc,

I nunc, factis porridge famam:
 Famam ingenio, famamque opibus,
 Famam intrepidâ molire manu:
 Cuncta immemori nocte recondet
 Sera vetustas. Age corticibus
 Inserere amores, ut cum tiliis
 Nomina crescant: seu a securis,
 Nemorum celsis inimica comis,
 Longum tiliis invidet auum.
 Pario titulos marmore sculpas;
 Dum tempus edax monumenta terit,
 Obsita titulis saxa fatiscunt.
 Si mors saxis tiliisque venit,
 Quis victuris credere chartis
 Vitæ sataget labilis umbram?
 Si post cineres fœvora vitæ
 Serâ affectas laude nepotum;
 Altera tandem te fata manent.
 Postuma quidquid proferet ætas,
 Postuma rursus proruet ætas.

PROSA EXEGESIS.

QUARTVM hoc est Ecclesiastæ confectarium, quod
 ex caducâ rerum creatarum naturâ, fluxuque per-
 petuo deducit, præteritorum scilicet sæculorum om-
 nium obliuio: quâ luculenter eos vanitatis redarguit,
 qui semimortuam in terris nominis immortalitatem
 sectantur. Quæ quidem vanitas plerisque hominum,
 ac præsertim optimis quibusque, & ad virtutem na-
 tis, fucum facit, dum amplissimum virtutis præmium
 esse gloriam arbitrantur, & mortali immortalitatem
 non esse contemnendam. Quinimò, si M. Tullium
 audi-

Obliuio va-
 nitatē glo-
 ria famam
 ostendit.

audimus, nullam virtus aliam mercedem laborum periculorumque desiderat, præter hanc laudis & gloriæ: quâ quidem detractâ, quid est, inquit, quod in hoc tam exiguo vitæ curriculo, tamque breui tantis nos laboribus exerceamus? Certè si nihil animus præsentiret in posterum; & si, quibus regionibus vitæ spatium circumscriptum est, eisdem omnes cogitationes terminaret suas; nec tantis se laboribus frangeret, neque tot curis vigiliisque angeretur. Nunc infidet quædam in optimo quoque virtus, quæ noctes & dies animum gloriæ stimulis concitat; atque admonet non cum vitæ tempore dimittendam esse commemorationem nominis nostri, sed cum omni posteritate adæquandam. Licuit otioso esse Cn. Pompeio, licuit C. Cæsari, licuit aliis infinitis, qui se totos Reipublicæ tradiderunt: sed nimirum inhærebat in mentibus quasi sæculorum quoddam augurium futurorum. Quid Q. Curtium commemorem, qui se pro patriæ incolunitate deuotum, quid morte, quàm triumpho illustriores Decios, animæque magnæ prodigum Paulum? qui numquam tam vile corpus habuissent, nisi gratâ posterorum memoriâ se consolati fuissent.

Præmitto Noëmi posteros, qui in campo Senaar non aliâ de causâ insanas illas Babylonicæ turris substructiones moliti sunt, quàm vt nomen suum æternitati consecrarent. Præmitto ceteros, qui vt se aut scientiarum luce, aut artium inuentis, aut præclaris in Rempublicam meritis, illustriores redderent, vitam infinitis laboribus vigiliisque confecerunt. Quâ potissimum ratione ducti? Viderunt scilicet, vitæ breuem esse cursum, at gloriæ sempiternum. Felices, si ad veri Dei cultum, solidamque virtutem potius, quàm

Omnes lau-
de ducimur.
Cic. pro
Archia
Poëtâ.

Genes. 11,

4.

Gloria a-
terna qua-
renda.

Humana
omnia ca-
dūca.

Vide Ra-
derum li. 1.
Martialis.

Boëtius li-
bro 2. Con-
sol. Metro
7.

Horat. li. 3.
Carmin.
Oda 30.

ad gloriam, virtutis umbram, sua studia curasque re-
tulissent: aut, si tanta erat dulcedo gloriae, non eam
ambiissent, quae, cum hominum laude nutriatur, to-
ties intermoritur, quoties ipsi praecones morte extin-
guuntur; sed eam potius, quae maior est popularis vr-
nae suffragiis, quam Deus virtuti destinat, quam ipsa
aeternitas semper intuebitur. Nam cetera quidem hu-
mana sunt, id est, fragilia, caduca, mortalia, & ut in
tempore nata, sic temporis legibus obnoxia, & cum
tempore interitura. Ut non iam fabula sit illa tanto-
pere à Poëtis decantata Saturni (quem *Xegivov* vocant)
edacitas, cum nihil in tempore ortum acceperit, quod
non aliquando conficiat atque consumat vetustas. Vbi
nunc horti Babylonis pensiles? vbi Creticus labyrin-
thus? vbi nobilissimum illud Mausolæum, amoris fi-
dei que coniugalis monumentum? vbi pyramides Æ-
gyptiæ, quae supra viginti terræ iugera basi suâ texe-
runt? vbi Rhodius colossus, ingentes sub pedibus one-
rarias in portum transmittens? vbi denique hæc ipsa
turre Babel, cuius paulò antè meminimus, quam
Noëmi posteritas velut aeternitati famæque postu-
mæ consecrauit? Nescio an vllum tot miraculorum
vestigium sit inuenire, præter hoc vnum, quod in re
simili producit Boëtius:

Signat superstes fama tenuis pauculis

Inane nomen litteris.

Atqui hoc ipsum est, inquit, in quo plus ad im-
mortalitatem praesidij, quam in saxis & marmoribus
repositum esse confidimus, scripta scilicet doctorum vi-
rorum monumenta. Certè hanc contentionem insti-
tuere non dubitat Horatius, dum ita sibi applaudit:

Exegi monumentum ære perennius,

Rega-

*Regaliq̄ue situ pyramidum altius:
Quod non imber edax, non Aquilo impotens
Possit diruere, aut innumerabilis
Annorum series, aut fuga temporum.*

Sed falsum est. Quàm multa litterarum monumenta sic interierunt, vt ne fragmentum quidem vllius schedij sit inuenire? Quis vel epigraphen vñquam vidit illorum librorum, quos Noë, diuinarum humanarumq̄ue litterarum professor, teste Beroso, partim Armenis, partim Italis (apud quos Iani nomine consecratus est) reliquit? Quis vel corrosium vetustate fragmentum inuenit sapientiæ Themanitarum? Quis vel codicem vnicum in lucem protulit ex illo celeberrimo Dabirenorum archiuo? Quid nobis residui fecerunt sapientes Taneos & Mempheos? quibus in ciuitatibus celeberrimæ Ægyptiorum Academiæ floruerunt, quas studiorum causâ Musæus, Orpheus, Dædalus, Homerus, Solon, Lycurgus, Thales, Pythagoras, Plato, Democritus frequentarunt.

Litterarum monumenta peritura.

Berosus lib. 3. Antiquit.

Pineda Salomone præu. lib. 3. c. 27.

Et quis dicat, plus vitæ vigorisq̄ue Græcorum ac Romanorum scriptis fore, quàm Chaldæorum? Si nutrices illæ scientiarum Athenæ nihil præter vastitatem ac solitudinem ostendunt, quid alumni eius futurum existimamus? Neque verò est, quòd Romani Scriptores chartis suis æternitatem promittant, quam Imperio dare non potuerunt. Et si non pauca Ciceronis aut Senecæ lucubrationes in spongiam temporis incubuerunt, quis reliqua eorundem opera exempti iuris esse pronuntiabit?

Vana est igitur illa Scriptorum immortalitas, & inane chartis illitum nomen. Veniet & illis sua dies, quæ aut extremam Europæ vastitatem, aut præteritorum

Litteratorum immortalitas vana.

ſæculorum barbariem, & politioris litteraturæ obliuionem reducet. Et vt melior nobis fortuna, quàm Afriæ Africæque, contingat, hoc ſaltem eum Senecâ confidenter aſſeram: Profunda ſupra nos altitudo temporis veniet: pauca ingenia caput exerent, & in idem quandoque ſilentium abitura, obliuioni reſiſtent.

Seneca
Epiſt. 21.

Vera gloria
quærenda.

Si politiora quoque ingenia in idem ſilentium tandem abitura ſunt, quid reliquum eſt, quo beatæ æternitatis veræque immortalitatis cupidos conſoler, niſi hæc vna cohortatio, vt humanæ laudis fumulos deſpicatui habentes, iuſtitiam colant, impietatem deteſtentur: ac tum demum ex hiſce diuinis oraculis ſummo animi ſui ſolatio diſcant, quid inter beatam iuſtorum æternitatem, vanamque nominis immortalitatem interſit. *In memoriâ æternâ erit iuſtus. Et: Nomen impiorum putreſcet.*

Pſal. 111, 7.
Prou. 10, 7.

SECTIO SEXTA.

ECCLESIASTES.

VERS. 12. Ego Eccleſiaſtes fui Rex Iſraël in Ieruſalem,

13. & propoſui in animo meo quærere & inueſtigare ſapienter de omnibus, quæ fiunt ſub Sole. Hanc occupationem peſſimam dedit Deus filiis hominum, vt occuparentur in eâ.

^a Alij, quia ſultorum infinitus eſt numerus, qui validius exemplo trahunt, quàm inuſtria peruerſa corrigentium.

14. Vidi cuncta, quæ fiunt ſub Sole, & ecce vniuerſa vanitas, & afflictio ſpiritus.

15. Peruerſi difficilè corriguntur, ^a & ſultorum infinitus eſt numerus.

METRI-

METRICA PARAPHRASIS.

HVMANAE quicumque cupit molimina vitæ,
 Ingenij fetus, desudatosque labores,
 Et vigilas curas, & anhelos pectore vota
 Discere, & implexum studiis pignantibus orbem;
 His animum dictis, facilesque accommodet aures.
 Me quondam Solymæ sceptrum, ac suprema potestas
 Impulit Isacidum, mentem his advertere curis
 (Sic decuit, sic fata homini præscripta tulerunt)
 Dum regni è speculâ facies simul orbis & orbis
 Luminibus subiecta stetit: dum nubila circum
 Dispulit atra fauor Sophiæ, quæ obducta tuenti
 Mortales hebetare solent caligine sensus.
 Ecce autem primis obtutibus area Circes,
 Et cortis penetrabile dedit spectacula. Vidi
 Plurima sub dominâ meretrice gementia monstra:
 Prædones ululare lupos, frendere leones,
 Cænosas grunnire sues, queis toxica morum
 Horribiles rictus, atque ora dedere ferarum.
 Parte aliâ insudans operi malesana iuventus
 Sisyphio impellunt nisu reuolubile saxum.
 Parte aliâ summis fugientia flumina labris,
 Tantaleamque sitim, delusaque vota fatigant.
 Hic ubi fumosas nebulas, atque aëra prensat,
 Deceptis vacuas satians amplexibus vlnas
 Ixion, frustra Iunonia gaudia sperat.
 Hic ubi festa strepunt, genioque cutique litatur,
 Aspidis oua coquunt, ruptoque putamine virus
 Sorbibile in exitium stupefacta sub ilia condunt.
 Quos argutari pedibus, radiumque Minerue
 Alternare vides, fragile hi subtemen arachnes

Vise-

Visceribusque imis manantia tabida fila
 In telam cogunt: nequidquam hoc flamine vestes
 Vanaque moliti nudis solatia membris.
 Hi vacuum per inane plagas & retia tendunt
 Solliciti captare Notos: hic spumea bulla
 Quae tenui tumet à calamo, palatia Regum
 Picta ferens, pueris spectacula ludicra praebet.
 Pars hominum potior vano delusa sopore,
 Irrita dum portis Morpheus effundit eburnis
 Somnia, ridentis fortunae dona per umbras
 Aut videt, aut vidisse putat; frustrataque tendit
 Brachia in amplexum, fugitinaque gaudia captat;
 Aut letas inter mensas spumantia potat
 Massica, deliciisque famem procul arcet opimis.
 At simul excusi pellunt ludibria somni,
 Mox eadem notat ora fames, aetque sub imâ
 Fauce sitis, turpique casâ stabulatur egestas.
 Hei mihi! quàm vanis mortales pascimur umbris!
 Perfida fors avidos ludit, spes lætat inanis,
 Conterit ossa labor, fallit sopor, improba vota
 Destituit vita, erebrasque cupidine mentes
 Quot studia exercent, totidem tormenta fatigant.
 Nec potis est sapiens salebroso tramite vita
 Palantum frenare gradus: ruit incita turba
 Precipiti titubans distorta per ania gressu.
 Torrentem frustra castiges margine ripae,
 Arctoeas tepesacta nives ubi soluerit unda;
 Oppositas vincit moles, cumulosque volutat
 Undantes: ita contemprix dementia frani
 Exemplo ruit in præceptis, numerumque secutos
 Damna iuuant stultos, & amat nocitura phrenesis.

PROSA

PROSA EXEGESIS.

OLIM Democritus & Heraclitus, non infimæ notæ Philosophi, res humanas velut è speculâ contemplantes, disparibus eas calculis & affectibus condemnarunt. Quidquid in oculos incurrerat, lacrymis deplorabat Heraclitus; contrà verò, quoties in publicum processerat, omnia cum risu explodebat Democritus: huic omnia, quæ agimus, ineptiæ, illi miseriæ videbantur. Vtramq; in hoc opere personam induisse videtur Ecclesiastes, dum velut è speculâ sedulus explorator mortaliû studia, resq; omnes caducas ac perituras contemplatus, in aliis vanitatem risu dignam, in aliis afflictionē animi lacrymis prosequendâ inesse denuntiat.

Hoc nimirum decet Ecclesiasten, quem velut speculatore^{Regum est pro populo excubare. Ezech. 33.} domus Israël diuina prouidentia constituit, vt buccinâ det signum, pericula denuntiet, distorta morum corrigat. Sed & Regum hoc imprimis munus ac Maiestatem decet, quos pastores populorum etiam Homerus indigetavit. vt neque otiosum sit, neque mysterio vacet, quòd censorem generis humani acturus, tam operosè noster inculcat Ecclesiastes, *Ego Ecclesiastes fui Rex Israël in Ierusalem.* Reges enim velut speculatores pro salute atque incolumitate subditorum dies noctesq; excubant: illis, vt ait Cicero, beata ciuium vita proposita est, vt sit opibus ampla, copiis locuples, virtute instructa. Illorum est, optimis legibus atque institutis ordinare Rempubicam. Denique si Principis munus suis momentis expendimus, ipse spirans quædam lex est, sapientiæ, Politicæ præsertim Ethicæque, sacrarium, imago virtutis, &, vt verbo cuncta complectar, exemplar Dei in terris.

G.

Talem

Plutarchus
lib. ad Prin-
cipem in-
doctum.

Talem describit Principem Plutarchus libello ad Principem indoctum. Iustitia, inquit, est legis finis, lex Principis opus, Princeps Dei imago omnia dirigentis. Neque is opus habet Phidiâ qui eum fingat, aut Polyclero, aut Myrone; sed virtutis operâ seipsum quàm simillimum Deo fingit, iucundissimumque spectatu opus, ac diis charissimum.

Regi iusti-
tia sceptrū
esto, non
fulmen.

Huic deinceps ius & æquum, rectamque rationem pro sceptro porrigit, non fulmen, non tridentem; quo schemate nonnulli se pingi ac fingi iubentes, stultitiam suam inuidiæ exposuerunt. Succenset enim Deus tonitrua & fulmina radiorumque proiectus imitantibus: qui verò virtutes eius æmulantur, eorum studia promouet, eosque suâ æquitate, iustitiâ, veritate ac mansuetudine impertit; quibus nihil quidquam est in terris aut in cælo diuinius, ac ne ipsa quidem perpetuitas atque æternitas. Non enim ob vitæ tempus beatus est Deus, sed potius virtutis principatu.

Salomon
rex sapiens
& iustus.

Talem fuisse initio regni sui Salomonem, testantur sacra Littera: talem etiam extremâ ætate fuisse, vel ex hoc ipso libro par est credere. De exordio regni Salomonici locuples testis est Regum historia, in quâ sic orat Salomon: *Domine Deus, tu regnare fecisti seruum tuum pro David patre meo: ego autem sum puer paruulus, & ignorans egressum & introitum meum. Dabis ergo seruo tuo cor docile, vt populum tuum iudicare possit, & discernere inter bonum & malum. Et: Da mihi sedium tuarum assidricem sapientiam, vt mihi instar peritissimi Iurisperiti perpetua sit assessor, mecumque sit, & mecum laboret, vt sciam, quid acceptum sit apud te. Ac Deus quidem huic voto cumulatissimè respondit, dum ait: *Quia postulasti tibi sapientiam ad discernendum iudicium, ecce dedi tibi cor sapiens & intel-**

3. Reg. 3, 7.

Sap. 9, 4.

Verf. 10.

3. Reg. 3,
11.

intelligens, in tantum, ut nullus ante te similis tui fuerit.
 Hac ille sapientiâ dotatus, simulque muneri suo satisfaciens, *Proposui, inquit, in animo meo querere & inuestigare de omnibus quæ sunt sub Sole.* Cuiusmodi autem deprehendit hominum studia? quas curas? quas occupationes? *Vidi, inquit, cuncta quæ sunt sub Sole, & ecce vniuersa vanitas, quam rideat Democritus, & afflictio spiritus, quam deploret Heraclitus.*

Et verò si quis hoc tempore speculam cum Ecclesiaste conscenderit, orbemque vniuersum mentis oculis fuerit peruagatus; quid inter homines homine dignum inueniet? Possidonium inter humanæ vitæ exercitationes quatuor artium genera ponebat: vulgares siue sordidas, ludicras, pueriles, & liberales; solas autem liberales homine dignas, sed & solas ab hominibus neglectas. Seneca magnam vitæ nostræ partem affirmat elabi malè agentibus, dum luxui, ac libidini, ceterisque vitiis indulgemus; maximam nihil agentibus, dum otio ac ignauia, maximeque somno consumitur; totam aliud agentibus, dum tempus quod virtuti Deoque debetur (& quod non Deo tempus debetur?) rebus externis vanisque dilapidatur.

Hominum occupationes vana.

Seneca Epist. 1.

Descendamus ad singula. Alium insatiabilis tenet auaritia, alium superuacuis laboribus operosa sedulitas: alius vino madet, alius inertia torpet: alium defatigat ex alienis arbitriis suspensa semper ambitio, alium præceps mercandi cupiditas circa omnia maria terrasque spe lucri deducit: quosdam militia tempestas absorbet, numquam non aut alienis periculis intentos, aut suis anxios: sunt quos ingratorum cultus & obsequia voluntaria seruitute consumant. Multos aut affectatio alienæ fortunæ, aut odium suæ detinuit: plerof-

Seneca de Brevit. vitæ, c. 2.

que nihil certi sequentes vaga, & inconstans, & sibi displicens leuitas per noua consilia iactauit, adeò verum est illud Poëtæ:

Exigua pars est vita, quam nos viuimus.

Ceterùm quidē omne spatium non vita, sed tempus est.

Sed missos faciamus illos, qui cum aduersâ fortunâ luctari videntur: illos nunc intueamur, quorum felicitas mensura votorum est. Quàm multi sunt, quos acerbius diuitiâ, quàm imperiosi cuiuslibet heri dominatus exercet? Quàm multorum eloquentia quotidiano ostentandi ingenij studio sanguinem educit? Quàm multos Imperij fascibus conspicuos intolerabilis fori curiæque seruitus sibi eripuit? Sed nulli turpius occupati sunt, quàm effeminati illi, qui vino, voluptatibus ac libidinibus se manciparunt. Nam auari quidem, licet flauo delectentur luto, & ambitiosi, tamen vanos honoris fumos suspiciant, speciosè tamen insaniunt: & qui bellis delectantur, aut odia exercent iniusta, virilius peccant: at in Venerem ventremque proiectorum inhonesta labes est. An non meritò hæc hominum studia vnâ vanitatis censurâ iugulat Ecclesiastes? Quid enim ex his omnibus est, quod animos nostros, ad æterna natos, solidè possit oblectare? Quid non futile plenumque vanitatis? Quæ verò merces, quæ spes aut res diurnis illis nocturnisque curis, vigiliis, laboribus rependitur? Nónne quot huius mundi rerumque caducarum admiratores, tot Ixiones, tot Sisyphos, tot Tantalos, tot araneorum telæ textores enumeres? Nónne quot voluptatis asseclas, tot Circeæ cortis sues, aspidum oua forbillantes, somnio denique beatos inuenias.

Quæ cum per se deploranda sunt, tum nihil indignius, quàm quòd tantis malis nulla fieri posse medicina

Felicitas
mundi va-
na.

Ita. 59.

Mundi
Fulcra
immedica-
bilis.

cina videatur. Omnino tanta malorum est peruicacia, vt quod sibi aliquando contigisse fatetur D. Augustinus, aduersus medicinam insaniant, quâ ad sanam mentem poterant adduci, & instar mortis reformident à fluxu inueteratæ consuetudinis restringi, quâ contabescunt in mortem. Frustrâ hîc sana consilia suggeras, frustrâ virtutis pulchritudinem commendes, frustrâ rationem in consilium aduoces; plus possunt inolita consuetudo, ac turba peccantium. Nimirum non ex legum aut rationis præscripto, sed ad exemplum turbæ præeuntis vita instituitur; neque tam quâ sit eundem, quàm quâ eatur, attenditur. quasi multitudo veritatis ac sanctitatis norma sit; cùm tamen contrâ turba pessimi sit argumentum. Neque enim tam benè agitur cum rerum naturâ, vt pluribus optima probentur. Sed nos receptui canamus, & explosâ inutilium curarum vanitate, cum Ecclesiastæ dispiciamus, an plus aliquantò felicitatis ac dignitatis in scientiarum splendore deprehenderit.

Augustinus
lib. 8. Confess.
cap. 7.

SECTIO SEPTIMA.

ECCLESIASTES.

VERS. 16. Locutus sum in corde meo, dicens: Ecce magnus effectus sum, & præcessi omnes sapientiâ, qui fuerunt ante me in Ierusalem: & mens mea contemplata est multa sapienter, & didici.

17. Dedi que cor meum vt scirem prudentiam, atque doctrinam, errores que & stultitiam: &

G 3

agno-

agnoui quòd in his quoque esset labor, & afflictio spiritus:

18. eò quòd in multâ sapientiâ, multa sit indignatio: & qui addit scientiam, addit & laborem.

METRICA PARAPHRASIS.

QVAECVMQVE scepra Regia gestent manus,
 Quoscumque fasces publica Atlantes rei
 Cincti clientum obnoxio cœtu ambient,
 Quamcumque palmarum spondeat Martis fauor,
 Quoscumque merces institor vagus petat,
 Cuicumque lucro plebis insudet labor,
 Quaecumque studia nobiles anima colant,
 Quaecumque cura lancinent pectus; tamen
 Pila Vanitatis turba mortalis sumus,
 Ventisque pretium facimus, & fumo, & nihil.
 Quin & reuulso si quis infami iugo,
 Et vanitate colla calcata erigit,
 Aut vana vulgi studia doctrinae face
 Ex arce mentis despicit; letus nouâ
 Sophiae repertâ luce dum plaudit sibi,
 Se Vanitatis laqueat incautum plagis.
 Sic ego peragrans mente terrarum sola,
 Et quidquid ambit aureum Phœbi iubar,
 Inanitatis arguens, dixi gemens:
 En fama nomen gemmeis nostrum vehit
 Sublime bigis, meque conspicuo locat
 Mundi theatro. Multa penetraui inchoata
 Vigore mentis nocte diu cæcâ abdita;
 Et corde toto admixus expendi vias,
 Quâ vera virtus arduos gressus regit,

Quâ

Quà stultus error deuio titubat gradu :
 Palmamque Sophiæ laude præ cunctis tuli
 Solymæ colonis. Estne qui tantum decus
 Magno pacisci renuat erectum supra
 Scientiarum verticem excelso pede,
 Vi mentis explorare, quo virtus gradu
 Vitiumque constet, quisve sit rerum modus ?
 O nulla veri nominis felicitas !
 Quod antè rebar sorte mortali altius,
 Id vanitatis damnat exhaustus labor,
 Et mille mentis, nomen infaustum, cruces.
 Nam si quis adytis ambiat Sophiæ pedem
 Inferre, & orbis nosse quod gremio latet ;
 Fremit ambientes millies ludi manus,
 Quas veritati tendit optata. Velut
 Celsi Niphatis vertice, aut Nise iugis
 Cùm tigris orba liuet irarum notis,
 Cuius tenellos fors Achamenio Duci
 Ludibria fetus abstulit trepidans eques,
 Furit illa, cursu concito anteuolans leues,
 Zephyro marito quàm sibi propior, Notos ;
 Donec subinde vitreis propter viam
 Delusa spheris tendit incassum pedes,
 Imaginisque fallit amplexu obuie
 Sobolis amorem. Noster haud alio dolor
 Animum cruentat vulnere, & pectus coquit
 Auidum sciendi. Nempe pro sapientiâ
 Prensamus umbras, spemque lactatam fugax
 Imago ludit. Nube si pulsâ tamen
 Lux aliqua menti sidus insinuet suum,
 Et veritatis radiet optatum iubar ;
 Pluria capaci monstrat ignorantie

Latere

Latere gremio, nulla quæ satis dies
 Eruderabit. Truditur dies die,
 Et cura curam gignit: exhaustus labor
 Geminat laborem; postque tot curas tamen
 Siquid didicimus, nec caret fructu labor,
 Hoc scimus unum, scire nos penitus nihil.

PROSA EXEGESIS.

Salomon
 scientia
 cupidus.

DAMNATIS Ecclesiastes humanæ vitæ laboribus, vanisque curis & cogitationibus, ad animum liberalioribus studiis relaxandum, omniq̄ue scientiarum genere excolendum, se contulerat: & facultatem eius desiderio parem subministrabat eximium quoddam sapientiæ lumen eius animo diuinitus infusum; & materiam suppeditabat orbis terrarum, quæ latissimè patet, vniuersus. Itaque nihil intentatum, nihil inexploratum reliquit, sed omne politioris litteraturæ, solidiorisq̄ue doctrinæ genus, à primis litterarum elementis ad summum vsque sapientiæ diuinæ apicem peruagatus est. Non quod prima litterarum elementa excogitarit (hanc enim inuentionem apud Hebræos, Suidas Setho, Philo Abrahamo, Theodoretus Moyfi tribuunt, apud Græcos verò Cadmus omnium pænè consensu hac laude celebratur) sed tamen in partem etiam venit huius gloriæ, cum Arabicum, vt vocant, Alphabetum, linguamq̄ue cultissimam, quam Arabicam Orientalem vocant, excogitarit.

Pineda in
 Salomon.
 præu. lib. 3.
 c. 11.

Sap. 7. 7. ex
 versione
 Tigurina.
 Salomon
 orator exi-
 mius.
 3. Reg. 4.
 31.

Deinde cum ex libro Sapientiæ perspicuum sit, diuinitus illi infusam facultatem sententiosè, copiosè grauitèrque dicendi, ad miraculum vsque exterarum gentium, quæ, vt habet Regum historia, vndique venerant ad audiendam sapientiam Salomonis; cui dubium

bium esse potest, quin summorum Oratorum virtutes, quas enumerat M. Tullius, quasi totidem flumina, in hoc vnum eloquentiæ pelagus confluerint? Itaque neque Socratis in eo suauitas desiderata est, neque subtilitas Lysiæ, neque acumen Hyperidis, neque vis Demosthenis, neque grauitas Africani, neque lenitas Lælij, neque iucunditas Catuli, neque varietas Cæsaris, neque, vt hoc etiam addam, Ciceronis exquisitissimorum verborum sententiarumque delectus.

Nihil iam dico, quantopere amœnissimis Poëtarum studiis fuerit delectatus, cum eâ ætate vixerit, quâ summi illi Græcorum non magis Poëtæ, quàm Theologi, Linus, Amphion, Orpheus, Musæus, nonnullæque Sibyllæ floruerunt, & ipse quinque millia Odarum conscripserit, quas, paucis exceptis, nobis omnes tempus inuidit.

Nunc vt ad altiores disciplinas gradum faciamus, Rationalem Philosophiam in eo maiorem agnoscit Clemens Romanus, quàm in omni Sophistarum sapientiâ. Astrologiæ scientiam illi negare non possumus, cum id ipse de se testetur, & eius ætate Ægyptij & Chaldæi, quibuscum perpetuum Iudæis intercessit eruditionis commercium, fuerint Mathematicarum disciplinarum scientissimi.

De Architecturâ nihil attinet dicere, cum in oculis omnium celeberrimi illius templi incurrat imago, quod non tantum orbis miraculum fuisse testatur Villalpandus, sed etiam absolutissimum exemplar, vnde in omnem posteritatem optima ædificandi præcepta promanarunt.

Physiologiæ immensam esse contemplationem, ait Plinius, si quis æstimet varietatem, numerum, flores,

H odo-

Cicero li. 3
de Oratore.

Salomon
Poëtica de-
lectatus.

3. Reg. 4.
32. secun-
dum 1. xx.

Salomon
Philosophus
& Astrolo-
gus.
Clemens
Romanus
lib. 1. Con-
stitution.
cap. 6.
Sap. 7, 18.

Salomon
Archite-
ctus.
Villalpan-
dus in Ezc-
chielem.

Plin. li. 18.
c. 1.

Salomon
naturalis
scientia
peritus.

3. Reg. 4.
33.

Homerus
Iliad. 9.

Salomon
Medicina
& Magia
peritus.
Cedrenus
in Com-
pend. Hist.

Salomon
Iuris &
Oeconomia
peritus.

3. Reg. 10.

Salomon
Theologus.

odores coloresque & succos herbarum, quas salutis aut voluptatis hominum gratia terra gignit; & Xenophon apud Ciceronem, nihil orbi tam regale videri, quam studium agriculturæ, contendit: atqui omne hoc studium complexus est Rex sapientissimus, cum, ut habet diuina Pagina, disputauit super lignis & plantis, à cedro quæ est in Libano, usque ad hyssopum quæ egreditur de pariete. Et fauebat huic studio altissima pax, quæ semper, uti Cereris nutrix, ita mater ac magistra totius agriculturæ esse confuevit: adeò, ut multò venustiùs ac veriùs falce, aratro ac vomere potuerint insigniri scuta Salomonis, quam Achillis illius apud Homerum clypeus; cui, utpote homini bellicoso, non plus debebat agriculturæ, quam verni flores Boreæ, aut maturæ fruges continuis imbribus.

Rerum naturalium cognitioni annexa est Medicina, & Magia naturalis. Quæ autem in his facultatibus scripto consignauit Salomon, ea de medio sustulisse Ezechiam, auctor est post Eusebium Cedrenus, ne populus in reconditis naturæ miraculis plus præsidij sibi, quam in Deo repositum esse duceret.

De Iuris ac legum peritiâ Sectione præcedente dictum est. Porro Oeconomia Salomonis, quæ velut Politicæ quædam lacinia est, rantopere in stuporem rapuit Reginam Saba, ut conspectis palatiorum ædificiis, Regiæ mensæ ferculis, ordine ministrantrium, vestibulisque, pincernis, & holocaustis, attonitæ similis, & quasi exanimis substiterit.

Sed hæc omnia, quemadmodum accessu Solis euanescent minora sidera, ita prorsus offundantur atque intereant necesse est, si cum saluberrimis vitæ

ac morum præceptis, diuinâque sapientiâ, quæ passim in eius Operibus elucet, conferantur; quâ non tantùm dies noctesque animum excoluit, sed eandem etiam, excitatâ in vrbe Regiâ, atque adeo in ipsâ Sionis arce, academiâ, professus est.

Pineda Salom. prævio lib. 3. c. 28.

Quæ omnia nisi ita magna esse fatear, vt ea vix cuiusquam mens aut cogitatio capere possit; nisi ita splendida, vt reliquorum toto orbe sapientium gloriæ tenebras offundere videantur, amens sim. Et tamen in his omnibus nihil, præter laborem & afflictionem animi, perpendit Ecclesiastes. Quid ita verò? Quia, inquit, *in multâ sapientiâ, multa est indignatio; & qui addit scientiam, addit & laborem.* Indignationem tribuit sapientiæ, laborem scientiæ. Belle, præclare, subtiliter. Cùm enim sapientia in peruestigatione rerum diuinarum, longeque à sensuum commercio remotarum versetur, quoties aut in mysteriorum profunditate mens hallucinatur, aut inani veritatis umbrâ deluditur; non absque causâ, postliminiò deprehensis erroribus, indignatur in rebus diuinis tantum esse caliginis. Scientiâ verò, tametsi facilius est & clarius, quia tamen ita multiplex est & varia, ac propemodum infinita, nullam quietis partem homini sciendi cupido relinquit, sed laborem ferit ex labore.

Sapientia scientiæ vanitas.

Quòd si tantum vanitatis in iis studiis deprehendit Ecclesiastes, quæ & solidum animæ pabulum continent, & quibus temperanter vsus est; quid tandem futurum est intemperantibus illis difficilium nugarum helluonibus, qui nec veræ sapientiæ gustum habent, & in puerilibus tritis, futilibusque nodis enodandis, ætatem, sanguinem, succumque consu-

Vanitas inutilium studiorum.

Seneca de
Brevitate
vitæ, c. 13.

munt? Dubitare certè nemo potest, quin operosè nihil agant, qui litterarum inutilium studiis detinentur. Græcorum iste morbus fuit quærere, quem remigum numerum Vlysses habuerit, priòrne scripta sit Ilias an Odyssea, similesque nugas plausibiles: quæ cum sciuntur, aut sciri existimantur, verbosos, intempestiuos, & sibi placentes faciunt, & ideò non discentes necessaria, quia superuacanea didicerunt. De quibus non inscitè Martialis:

Martialis
l. 2. Ep. 95.

Turpe est difficiles habere nugas:

Et stultus labor est ineptiarum.

Seneca
Epist. 88.

Didymus ille Grammaticus, qui ab assiduitate laboris Χαλκέντερος, id est ferreis visceribus, dictus est, quatuor millia librorum scripsisse dicitur. Miser, si tam multa superuacanea tantùm legisset. In his de patriâ Homeri quæritur, in his de Æneæ matre verâ: in his, libidiniosior Anacreon, an ebriosior vixerit: in his, an Sappho publica fuerit, ceteraque eiusdem farinae, quæ vel cum pectoris quadam conuulsione egerenda essent, si quis in stomachum transmississet. Miserrimam Tiberij diligentiam in historiæ fabularis inquisitione vsque ad ineptias ac derisum, narrat Suetonius. Nam & Grammaticos (quod genus hominum præcipuè fouebat) eiusmodi ferè quæstionibus experiebatur, Quæ mater Hecubæ, quod Achilli nomen inter virgines Scironis filias fuisset; quid Sirenes cantare consueuissent. Fuit etiam ætate nostrâ florentissimæ cuiusdam in Italiâ vrbis Archiepiscopus, vir doctus & grauis, apud quem si de Theologiâ diuinâque sapientiâ sermones intulisses, subito frontem corrugare, supercilium attollere, denique manifestis indiciis istiusmodi orationem auer-

Suetonius
in Tiberio,
cap. 70.

Lælius Bi-
sciol. lib. 3.
cap. 1.

fari:

fari: si verò de modalibus, earumque conuersionibus ac mixtionibus, de actione & reactione, verba faceres, explicare mox frontem, exultare, triumphare gaudio. Si opus, quod de modalium conuersione scripserat, familiaribus probasset, tantis incedere lætitiis, ac si magnum Turcarum Imperatorem ad fidem Christi religionemque conuertisset. Misera certè curiositatis suæ mancipia, & viles litterariæ scientiæ candidatorum animæ, quorum demeritiam non minori iure quis explodat, quàm procorum illorum apud Homerum, qui, relictâ Penelope, conuertere se ad ancillas: sic enim illi, neglectâ rerum dominâ sapientiâ, ardent tantum in eius ministris. O miseri! quos abiecta imò noxia curiositas perpetuo quasi pistrino exercet, & laborem ex labore nectens, ita difficilibus nugis detinet, vt Deo ac saluti operam dare vix vniquam possint.

Deplorat hanc præposteram sciendi cupiditatem D. Hieronymus, ad Damasum ita scribens: Sacerdotes Dei, omissis Euangeliis & Prophetis, vide-

Hieron. ad
Damasum.

mus Comœdias legere, amatoria Bucolicorum versusum verba canere, tenere Virgilium; & id quod in pueris necessitatis est, crimen in se facere voluptatis. In pueris id esse necessitatis, sed magnæ tamen miseriæ, testatur D. Augustinus; quòd nimirum adhuc puer plus æquo fabulosis illis tragicisque affectibus tribuerit, oblitus interim sui ac salutis: Tenere cogebam, inquit, Æneæ nescio cuius errores, oblitus errorum meorum; & plorare Didonem mortuam, quia se occidit ob amorem, cum intereà meipsum in his à te morientem, Deus meus, vita mea, siccis oculis ferrem miserimus. Quid enim miserius misero non miserante se-

Aug. lib. 1.
Conf. c. 13.

ipsum, & flente Didonis mortem, quæ fiebat amando Æneam, non flente autem mortem suam, quæ fiebat non amando te Deus, lumen cordis mei. Si hanc miseriam deploravit Augustinus, quæ necessitatis erat, quanta cæcitas est illorum, qui eadem tanquam voluptate pascuntur?

Aurelius
Victor.

Aemilius
lib. 10.

*Litterarum
studia al-
tioribus
scientiis
subserviunt.*

Quid igitur censes? dicet aliquis. An cum Licinio Imperatore, qui litteras Reipublicæ pestes vocabat, abolenda esse litterarum studia? aut cum Ludouico XI. Gallorum Rege, qui filium Carolum VIII. non plus Latinè voluit efferre posse, quàm hæc verba: Qui nescit dissimulare, nescit regnare? Minimè verò: sed eatenus hæc studia conducibilia esse iudico, si ad solidiores scientias viam sternant, si animos virtuti ac sapientiæ præparent, non in puerilibus rudimentis detineant: nunc verò quis non perniciose iudicet, cum totum hominem, omnemque ætatem sibi vindicent? Tantum enim negotij facessit exitiabilis illa curiositas, tot homini labores creat ac molestias, ut sibi æternæque salutis negotiis vacare nunquam adlubescat. Mors interim aliud agentibus nullam moram indulget, nec gradum suspendit, cui, velimus nolimus, vacandum est.

